FIDELIS SERVI, SVBDITO INFIDELI RESPONSIO,

vnà cum errorum & calumniarum quarundam examine quæ continentur in septimo libro de visibili Ecclesiæ Monarchia a Nicholao Sandero conscripta.

LONDINI

Apud Johannem Dayum Typographum. An. 1573.

CVm in tuam Eccleſiæ Monarchiam non ita pridem (Sandere) inciderem, & ſex illius libros attentiſſima cogitatione percurrerem, etſi in illis templum pro Eccleſia, turrim Babilonicam pro Chriſti domo extructam viderem, etſi inter Monarchas Eccleſiæ tuæ, veneficos, circulatores, necromanticos, homicidas reperirem, etſi Diuos Petrum & Paulum tanquam in Inſulam aliquam relegatos, Platonem verò & Ariſtotelem (quorum rationibus omnia ſunt a te fundata) in ciuitatem dei aſcriptos ciues putarem: dum tamen nihil adhuc virulentum in ſcriptis tuis apparuit, dedi aliquid conditioni tuæ, ignoui voluntati illius qui duorum Cardinalium nutu viuebat, nullis tuis aſſentationibus cõmouebar. Hominem te ſciebam eſſe, humani a te nihil alienum fuiſſe, nec iniquum fore, vt qui Romani Pontificis clientelam iam antea ingreſſus eſſet, eiq; ſe totum deuouiſ-

ſet, in illius patrocinio ad extremum perſiſteret. Poſtea verò quàm ad ſeptimum iam librum legendo peruenilſem, & quid in illo monſtri aleres planè perſpicerem, cũ in eo & in Reges & in Reginas acerbitatis tuæ virus euomueris: cum nec viuentibus nec mortuis peperceris, cum aſtu id egeris, vt Elizabetham Anglorũ Reginam (omnium quæ vnquam fuerunt in hoc regno illuſtriſſimam) nõ modò in inuidiam, ſed eius etiã natalia iniquiſſimis tuis calumniis in dubium venire ſperes: officii mei putabam eſſe & omni hominum generi ea in re ſatiſfacere, & tuis contumeliis & inſidiis aperta veritate reſiſtere. Nam iſtam tuam inuerecundiam optimus quiſq; pati vtcunq; poterit, perpeti certè non poteſt. Neq; ſanè dubito, quin ſi aliquos iam antea in Anglia amicos habueris qui tacitè tecum ſenſerint, eoſdem iſta virulentia & impietate infenſos & inimicos reddideris. Vident hîc expreſſam Monarchiæ tuæ effigiem, aut tyrannidem potius honeſto nomine implicatam, fructus cognoſcunt amariſſimos, ex ore te iudicant ſeruum infidelem, & amplius tibi credendum non putant, qui & prin-

cipis honori (qua ſol nihil vnquam clarius vidit) non minus verſutè quàm iniuſtè detraxeris, & in patriam (quæ vna omnes omnium charitates complectitur) non inuidus ſolùm ſed iniurioſus etiam extitiſti. Quod ſi vel illius famam vel principis maieſtatem apertè læderes, ſi machinas admoueres, ſi vim afferres, aperta improbitas nocere non potuit: nunc verò cum inſidias ſtruas, cum cuniculis furtìm ad iſtæc ſubintres, cũ leonem exutus vulpem induas, ſuſpicioſa eſt iſtæc comædia tua, & illius actoribus niſi tempeſtiuè reſiſtatur (ipſi præſertim comico) verendum eſt (quod tu tacitè exoptas) ne in Tragædiam deſinat. Quanquam minimè dubitare mihi videor, quin idē deus ſummus opt. max. qui ex iſto regno intollerabilem Papę dominatũ excuſſerit, Cardinalium faſtus & ſuperbiã abiecerit, ſordes & corruptas nimia antiquitate ceremonias expulerit, qui nobis principem omnibus tum animi tum corporis bonis florentiſſimam dederit, qui ea regnante ſic nobis benedixerit, vt illius pacem ſanctiſſimã habeamus, illius verbo & præceptis vndiq; circumſonemus, in illius gratia & bonitate ac-

 quieſ-

quiescamus: non dubito (inquam) quin & verbi sui, & principis tam excellẽtis causa, ab omnibus aduersariorum insidiis, colluuione, impostura, nos semper in posterũ vindicet, & in ista benedictionum suarum secura tranquillitate diutissimè conseruet. Sed veniamus ad illã septimi libri partem, (nunc enim hac vna in re breuissimè, deinceps de cæteris fusiùs tecum agemus) in qua homo tectus & inuolutus, aliud in ipsa tractatus tui fronte inscripseris, aliud in corde tuo (vti ex oratione sequente apparet) insidiosè congesseris. Huius titulus iste est, *Quot & quanti tum Episcopi, tum alij tam Ecclesiastici quàm nobiles & illustres in Anglia, Hibernia, & Scotia viri, dignitatem, fortunas, patriam, libertatem, ac deniq; vitam Elizabetha apud Anglos regnante, atque hæresim profitente amiserint, vt ne cogerentur Romani pontificis Primatum abijcere atque abiurare.* Hos vt tu viros scriptis tuis celebres, vt in cœlum euehas, vt omni hominum ordini gloriosè ostentẽs, sic exordiris. *Henricus octauus Angliæ Rex vt Annam Bullenam in Catherinæ vxoris suæ adhuc viuentis locum introduceret, Pontificis Romani ab eo diuortio abhorrentis potestatem*

teſtatem ex Anglia eiecit. Si rem propoſitam rectè animaduertiſſes, ſi tui iam ſtatim oblitus non eſſes, ſi bona fide (quæ nulla in te erat) egiſſes; quid opus erat tam altè petito principio? quorſum iſta tendit oratio? quid Henrici octaui, quid Catherinæ, quid Annæ Bullenæ mentio eſt? iſti ne regnante apud Anglos Elizabetha, dignitatem, fortunas, patriam amiſerunt? An illud potius neceſſum fuit vt Virgilium alioſq; imiteris, qui Cæſarem ſatis laudare ſe poſſe non putarent niſi ſumpto ab Aenea exordio, ſic tu Reipublicæ adminiſtrationē prudentiſſimam, & ſtatum Eccleſiæ ſinceriſſimum conuellere non poſſe exiſtimas niſi ab Henrico octauo incipias? Id inter te & poetam intereſt, quod ille regem ſuum laudare, tu labe aliqua aſpergere deſideras, ille in imperatorem pius, tu in regem & patriam impius extitiſti. Id tamen vnum tibi cum illo mirificè conuenit quod vterq; quantum velit effinxerit. Nam cum regem Angliæ dicas Romani Pontificis authoritatē abieciſſe, quia ab Annæ Bullenæ nuptiis abhorruerit, vide obſecro vel quàm turpiter lapſus fueris, vel quàm poeticè fin-

xeris. Papam enim non abiecit quòd ab illis nuptiis abhorruerit, ſed Papa propterea ab illis nuptiis abhorruit, quia Rex illius tyrannidem e regno abiecerat. Tunè rerum Romanarum adeo meminiſti vt Anglicarum penitus ſis oblitus? tunè ſolus (ea ætate cum ſis) hæc non recordaris quæ recenti hominum memoria confirmantur? num ea te fugiunt (vt memoriis nihil credamus) quæ in hiſtoriis noſtris ſunt fideliſſimè conſcripta? Num illud aut non audiſti, aut tibi leuiter excidit, Papam primùm a partibus Henrici Regis fortiter ſtetiſſe, cum illum audiret conſcientiæ ſtimulis dies noctesq; exagitatum, Arthuri fratris vxorem (quam hominum iniquiſſimorum ſuaſu homo iuuenis & rerum diuinarum imperitus in vxorem duxerat) repudiare conari? Quid quod idem Papa, cum nihil magis quàm illorum repudium deſideraret, Cardinalem Campeium in Angliam quamprimùm miſerat, eidemq; & Wolſæo Cardinali Eboracenſi id negotii daret, vt cauſam tam magnam, tam horrendam, in qua animæ periculum erat, diligenter audirent, regem reginamq; præ-

ſentes

ſentes alloquerentur, teſtes æqua lance examinarent, deniq; de tota re decernerent. Quæ ergo ratio eſt (inquit aliquis) quòd Cardinales iſti quibus poteſtas iſta delegata eſt, ſententiam pro diuortio non tulerint, ſi Catherina Henrico Regi illicitè nupta erat? Eadem mehercule cauſa quæ ipſum tandem Papã ferociùs in Anglia graſſantem e regno eiecit. Nam cum iſti delegati Londini in aula Dominicana prope domum Bridewellenſem ſederent, vt de re tota ex æquo & bono diſceptaretur, habebat Campeius in procinctu nõ minus longam quàm luculentam orationem, rem ad pontificis aures percrebuiſſe narrat, nõ minus nouam & inauditam quàm fœdam & intollerabilem, Regem & Reginam adulterii, aut potius incœſtus apud Papæ ſanctitatem reos factos eſſe, in quo ita diu perſtitiſſent, vt ipſa temporis diuturnitas crimen augeret, huic tam inſigni malo remedium aliquod ſalutare ab eo tempeſtiuè adhibendum, rem eſſe maximi momenti, quoniam non priuata ſed publica erat, nec inter incolas vnius vrbis, ſed inter ciues totius orbis peruagata, tantoq; magis in eo peri-

 culi

culi esse, quòd non iam in regni canalibus aut riuulis, sed in ipso fonte, non in membris, sed in capite, non obscuro aliquo in loco, sed in luce clarissima atque omnium oculis habitaret. Hìc cum perorasset, ne nimiis Henrici viribus atque gratia Catherinæ (fæmina nisi hac vna in re sincerissima) causa caderet, concessum est illi vt quos vellet aduocatos, tã theologos quàm iurisconsultos per totam Angliam selegeret. Vnde Warrhamus antistes Cantuariensis, Westus Episcopus Eliensis, Clerkus Bathoniensis, Legum Doctores, Fissherus Roffensis, Standicius Assauensis, aliiq; nonnulli Theologiæ professores, in illius concilium sunt asciti. Res vtrinq; summa animorum contentione acta est, dum Rex tam grauem conscientiæ labem purgare, Regina tam infandam incœstus opinionem declinare studeret, sed eò tandem disputando peruentum est, non iam vt dubitaretur num frater fratris vxorem posset ducere (cui omnia iura diuina atque humana reclamare videbantur) sed an tali in causa Papa dispensare posset. Hinc illæ lachrymæ: ex hac tam paruula fenestra voluit

tandem

tandem deus infinitam illius lucem transparere. Campeius itaque qui causæ æquitate permotus, istas nuptias dirimere non ita multò ante festinabat, cum quæstionem audiret esse, quantum posset Papa facere, quem ille putabat omnia potuisse: quem super aspidem & Basiliscum ambulare, quem conculcare Leonem & Draconem prædicabat, vix dici potest quantùm incaluerit, rem tamen vniuersam (vt erat veterator & vafer) astutè dissimulauit, & nihil iam restàre putabat, quin vt iudicium eò vsq; extraheret, dum Papam certiorem faceret, quantum periculi illius omnipotentiæ iam impendêret, si (vt erat constitutus) Henrici & Catherinæ matrimonium viginti iam annis confirmatum dissolueret, & iam dudum hoc malum irrepsisse, multi vt dubitarent, iure ne an iniuria Iulius Pontifex suo indulto & diplomate de eodem statuisset. Non poterat quàm volebat subitò & festinanter de pontificis voluntate certior fieri (longum iter est ad Romam) & proinde in tempus messis & vindemiarum iudicium distulit, in quibus cum Rota Romana dies iuridicos nō ferat,

 id

id ille sibi sceleri fore dicebat si sententiam ferret. Rex cui res ista satis subolebat, cum anguem in herba latere perspiceret, Nordouolciæ & Suffolciæ Duces ad Campeium mittit, sciscitari iubet, cur cum illo in suo regno iniuriosiùs egerit: quibus ille cum satisfacere iusta ratione non poterat, illi iracundia cōmoti: O Deus bone (inquiunt) si ab ipso regni nostri initio annales euoluamus, nunquam reperiemus quicquam huc boni a Cardinalibus inuectum, sed omnia quæcunq; cogitari possunt teterrima. Hæc cum illi assessor illius Wolsæus interpretatus esset, furere statim Campeius, Romani Pontificis legatum iniuriosius tractatum dicere, malum aliquod Ecclesiasticis hominibus impendêre si hæc procederent, deniq; illis vniuersis illos spiritus atque animos addidit, vt minutissimus quisq; exorcista & subdiaconus regi maledicere, Papam apertè defendere, vulpinam Cardinalium astutiam laudare auderent, deniq; nihil propius factum erat quàm vt gens rasa vncto regi periculum intentaret. Hæc cum Rex in summa sapientia illustrissimus videret, quò

 ista

ista tandem peruenirent ignorare non poterat, eò iam periculi rem redactam intellexit, vt vel sibi maiestas regia & regni iura fortiter retinenda essent, vel hominum Ecclesiasticorum importunitate (quorũ primus Wolsæus erat) regium diadema pontificis capiti imponendum. Hic (vti fere solet fieri, vt in re grauissima ex alia in aliam cogitationem altiùs incidamus) cœpit iterum atque iterum reminisci Henricus, regni sui legibus quàm exilem aut potius nullam in Anglia potestatem Papa haberet, quàm sæpe illius nerui a maioribus suis hîc essent præcisi, quoties præscriptis iure nostro limitibus excederet, deniq; cum ad ea oculos contorqueret, quæ sola a pontificia authoritate per totam Insulam dissеminata erant, nihil vidit præter Religionem politica versutia corruptam Regni nobilitatem seruitute depressam, plebem superstitione tenebrosissima occœcatam, reliquiis adulterinis illusam, Indulgentiarum blasphemiis delirantem, peregrinationum Idololatria deceptam, fractam, exhaustamq; expilatam, omnes omnium ordines perturbatos esse, laicos in summa rerum inopia

 obmur-

obmurmurantes, Ecclesiasticos (qui papalibus technis totas insulæ opes corrasce-rant) nouas iam tragædias excitantes. Hæc cum Rex luce clariora videbat esse omnia, nisi rex esse nollet, nisi sceptri & solii pertæsum esset, nisi regni sui leges violari & contemni voluisset, & (quod multò maius est) nisi ius diuinum neglexisset, & illum deum pro nihilo putasset, in cuius manu corda regum sunt, qui illius iam tandem oculos, vt Pauli Apostoli, vt in hac ipsa Britannia Lucii Regis aperuit, non poterat non illam tyrannidē in Ecclesia Dei iniustè imperantem, in alieno regno omnia sua libidine tenentem, furentem in bonos, concitantem improbos, omnes iniuriosiùs exagitantem, ore, scriptis, manu, contemnere, detestari, retundere. Rex igitur Papam iniustè imperantem, aut potius per suos Satellites furiosissimè debacchantem non a nuptiis Annæ Bollenæ (quæ nondum erant) abhorrentem reiecit: & Papa vicissim ab illis nuptiis abhorruit, non quia malæ erant, sed vt aliqua contumeliæ vindicta Henrico (qui illum foras exclusit) par pari referret. Hanc enim

cum

cum illa illius ſanctitate charitatem in nostro regno ſemper retinuit, vt reges (quoties illius monitis non obtemperarent) nunc execrationibus & maledictis configeret, nunc hoſtes rebus vndiq; pacatis immitteret, nunc filios in patrem (cum hoſtis externus deeſſet) nunc ciues in principem concilio, ſpe, promiſſis, ſubornaret. Arborem hîc ex fructibus cognoſcite. Quos ego vobis mille teſtimoniis confirmarem, niſi longior eſſe nollem, & cum homine natura Anglo, & (vt ego ſuſpicor) hiſtoriæ noſtræ non ignaro agam. Sed ad te redeamus Sandere, aut potius ad Henricũ octauũm, quem tu dicis Papam eieciſſe, vt Annam Bollenam introduceret in vxoris adhuc viuentis locum. Tunê illam iam vxorem dicis, re perſpecta & cauſa cognita qua matrimonium conſiſtere non poterat, cum iam nemo in tota Anglia adeo inſulſus & inſenſatus erat, vt dubitaret num iure id factum eſſet, ſed an Papa diſpenſare in tali cauſa poſſet? Equidem liberiùs non dicam in eam, quæ ſacrarum ſcripturarum neſcia duobus fratribus nupta erat, cum omni alio crimine (quod ſcio) immunis,

plus minus viginti annis cum rege ſinceriſſimè vixerit, nec illius iam nuptias in dubium vocarem, niſi tu Reginæ Natalibus tacitè detraheres, nec in iam mortuam illicitè nuptam tam ero impius, quàm tu in viuentem legitimè natam es inofficioſus. Illud liceat tecum modeſtè cōmentari, num fratrem fratris vxorem ducere poſſe exiſtimas? Si ais, non tam ero in te iniurioſus vt id te putem per inſcitiam dicere, video enim aliquam lectionem, video ſcribendi induſtriam, dabis tamen mihi veniam ſi id te repugnante atque adeo reclamante conſcientia ſcribere exiſtimem. Illud enim ignorare nemo poteſt niſi propoſiti defenſor, in quo hominum totius orbis doctiſſimorum ſummus vndiq; cōſenſus erat. Teſtis eſt Cantebrigia (Academia ab heroicis ducta temporibus) in qua res iſta ſumma animorum contentione diſputata eſt. Teſtis etiam Oxonia omni literarum genere florentiſſima, in qua in ipſo controuerſiæ initio adeo multi rei nouitate permoti a Catherinæ partibus ſtabant, vt ſi vanitate veritas, & opinione ſcientia expugnari potuiſſet, minimè dubium

eſt

est, quin pro Regina (cuius iam conditio omnium in animis miseranda videbatur) pronuntiatum fuisset. Horum iudicium si tibi præiudicium non sit, si filius pertinax matris vocem non audis, quam regem fortasse fingis vel vi, vel præcario, vel spe inuitam extorsisse, nihil ne te Aurelianensis Academiæ iudicium, nihil Parisiensis illa diuturna consultatio, nihil Andegauensis iurisperitorum concursus, nihil Biturigensis censura grauissima, & (vt aliquando e Galliæ finibus excedamus, & in ipsas Papæ possessiones veniamus) nihil te Patauiensis Academiæ, nihil Bononiensis determinatio commouebit? Extant adhuc istarum omnium sententiæ non nostris solùm historiis fideliter commemoratæ, sed suis etiam manibus subscriptæ. Ego illas tibi omnes eisdem verbis, eodem ordine, quo sunt in Angliam transmissæ (ne forte quisquam sit qui istas non viderit) fidelissimè recitabo. Aurelianensis Academiæ determinatio de Regis Henrici & Catherinæ matrimonio Foxo & Stokesleo Legatis.

 ¶ *Censura*

Censura Almæ Uniuersitatis Aurelianensis.

CVm abhinc aliquod tempus nobis Collegio doctorũ Regentium almæ Vniuersitatis Aurelianensis propositæ fuerint, quæ sequuntur, quæstiones videlicet, Si iure diuino liceat fratri relictam fratris (quam fratriam vocant) accipere vxorem. Item & si hoc sit eo iure vetitum, vtrum diuinæ legis prohibitio pontificali dispensatione remitti possit. Nos prædictum collegium post multas ad prædictorum dubiorum disputationem (de more nostro) factas sessiones, & congregationes, postq; varios vtriusq; testamenti, interpretumq; iuris tum diuini, tum canonici locos (quoad facere potuimus) examinatos, & omnibus maturè, atque exactè pensatis, & consideratis: definiuimus prædictas nuptias citra diuinæ legis iniuriam attentari non posse, etiam si summi Pontificis accedat indulgentia, vel permissus. In cuius rei testimonium præsens publicum instrumentum a scriba præfatæ almæ Vniuersitatis subsignari fecimus, eiusdemq; sigillo

communiri. Actum in ſacello beatæ Mariæ Boninuncii Aurelianenſis. An. domini milleſimo quingenteſimo, vigeſimo nono, die quinta menſis Aprilis.

Cenſura facultatis Decretorum almæ Vniuerſitatis Pariſienſis.

IN nomine Domini Amen. Cum propoſita fuiſſet corā nobis Decano & Collegio conſultiſſimæ facultatis decretorum Pariſienſis Vniuerſitatis quæſtio. An Papa poſſit diſpenſare, quod frater poſſit in vxorem ducere, ſiue accipere relictam fratris ſui, matrimonio conſummato per fratrem præmortuum. Nos Decanus, & Collegium præfatæ facultatis poſt multas diſputationes, & argumenta hinc inde ſuper hac materia facta, ac habita, cum magna & longa librorum, tam diuini quàm Pontificii & ciuilis iurium reuolutione, conſulimus, & dicimus Papam non poſſe in facto propoſito diſpenſare. In cuius rei teſtimonium has præſentes Sigillo noſtræ facultatis, & ſigno noſtri ſcribæ primi bedelli muniri fecimus. Datum in congre-

gatiône nostra apud sanctum Iohannem Laterahensem, Parisiis die vicesima tertia mensis Maii. An. domini millesimo quingentesimo trigesimo.

¶ *Censura facultatum iuris Pontificij & Legum almæ Vniuersitatis Andegauensis.*

CVm certo abhinc tempore nobis Rectori & doctoribus regentibus in Pontificia, & Legum disciplina almæ Vniuersitatis Andegauensis sequentes quæstiones propositæ fuerint, scilicet: Vtrum iure diuino pariter, & naturali illicitum sit homini Christiano relictam fratris sui, etiam absq; liberis, sed matrimonio iam consummato defuncti, ducere vxorem: Et an summo Pontifici liceat super huiuscemodi nuptiis dispensare. Nos præfati Rector & doctores post plures ad disputationem huiusmodi quæstionum, & veritatē comperiendam factas ex more congregationes & sessiones, postq; varios iuris tam diuini quàm humani locos, qui ad eam rem pertinere videbantur discussos, multas quoq; rationes in vtramq;

tramq; partem adductas, & examinatas, omnibus fideliter consideratis, & matura deliberatione præhabita: definimus nequè diuino, nequè naturali iure permitti homini Christiano, etiam cum Sedis Apostolicæ authoritate, seu dispensatione super hoc adhibita, relictam fratris, qui etiam sine liberis post consummatum matrimonium decesserit, vxorem accipere, vel habere. In quorum omnium supradictorũ fidem præsens publicum instrumentum a scriba seu notario præfatæ almæ Vniuersitatis subsignari iussimus, eiusdéq; Vniuersitatis magno sigillo muniri. Actum in æde sacra diui Petri Andegauen̄. in Collegio nostro. Anno dom. millesimo quingentesimo tricesimo, die septima mensis Maii.

¶ *Censura facultatis sacræ Theologiæ almæ Vniuersitatis Parisiensis.*

DEcanus & facultas sacræ Theologiæ almæ Vniuersitatis Parisiensis, omnibus, ad quos præsens scriptum peruenerit, Salutem in eo, qui est vera salus. Cum nuper suborta magnæ difficultatis contro-

uersia super inualiditate matrimonii, inter serenissimum Henricum octauum Angliæ Regem, Fidei defensorem, & dominum Hiberniæ, ac illustrissimam dominam Catherinam Angliæ Reginam, claræ memoriæ Ferdinandi Regis Catholici filiam cōtracti, & carnali copula consummati, illa etiam nobis quæstio in iustitia & veritate discutienda, & examinanda proposita fuerat, videlicet, An ducere relictam fratris mortui sine liberis sic esset iure diuino & naturali prohibitum, vt interueniente summi Pontificis dispensatione, non possit fieri licitum, vt quis Christianus relictam fratris ducat, & habeat in vxorem. Nos Decanus & facultas antedicta cogitantes, quàm esset pium, & sanctum, necnon debito charitatis, & nostræ professioni consentaneum, vt his, qui in lege domini secura, tranquillaq; conscientia vitam hanc ducere, & transigere cupiant, viam iustitiæ ostenderemus: noluimus tam iustis, & piis votis deesse. Hinc more solito, apud ædem sancti Mathurini per iuramentum conuenientes, & solemni missa cum inuocatione Spiritus Sancti ob hoc celebrata, necnon præstito iuramen-

iuramento de deliberando super præfata quæstione secundùm deum, & conscientiam. Post varias, & multiplices sessiones, tam apud ædem Sancti Mathurini, quàm apud Collegium Sorbonæ ab octaua Iunii vsq; ad secundum Iulii habitas, & continuatas, perscrutatis prius, excussisq; quàm diligentissimè, ac ea, qua decuit, reuerentia, & religione sacræ Scripturæ libris, eorumq; probatissimis interpretibus, necnon sacrosanctæ Ecclesiæ generalibus, ac Synodalibus Conciliis, Decretis, & Constitutionibus, longo vsu receptis, & approbatis: Nos prędicti Decanus & facultas, de prædicta quæstione differentes, & ad eam respondentes, sequentes vnanime iudicium, & consensum maioris partis totius facultatis asseruimus, & determinauimus, prout & in his scriptis per pręsentes asserimus, & determinamus: quòd prędictę nuptię cum relictis fratrum decedentium sine liberis, sic naturali iure pariter & diuino sunt prohibitę, vt super talibus matrimoniis contractis, siue contrahendis summus Pontifex dispensare non possit. In cuius nostrę assertionis & determinationis fidem, & te-

 stimo-

ſtimonium Sigillum noſtrę facultatis, cum ſigno noſtri notarii, ſeu bedelli, pręſentibus apponi curauimus. Datum in generali noſtra congregatione per iuramentum cœlebrata apud ſanctum Mathurinū. Anno domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo. Menſis vero Iulii die.ii.

¶ *Cenſura almæ Vniuerſitatis Bituricenſis.*

NOs cum Decano Theologię facultas in Vniuerſitate Bituricenſi (vt doctoris gentium Pauli exemplo, pleriſque locis, auſpicemur ſcriptum noſtrū a pręcatione) Omnibus dilectis dei, in quibus vocati eſtis Lectores chariſſimi, quiquè ad quos ſcribimus, gratia vobis & pax a deo patre & domino noſtro Ieſu Chriſto. Dum complerentur dies inter octauas Pentecoſtes, & eſſemus omnes pariter in eodem loco, corpore & animo congregati, ſedenteſquè in domo dicti Decani: facta eſt nobis rurſus quęſtio eadem, quę ſępius antea, non quidem parua, hunc in modum. An rem faciat illicitam necne, frater accipiens vxorem a pre-

a pręmortuo fratre relictam, consummato etiam matrimonio. Tandem rei ipsius veritate disquisita, & perspecta multo singulorum labore, & sacrorum iterata atque iterata reuolutione codicum: vnusquisq; nostrum non fascinatus, quo minus veritati obediret, cœpit, prout Spiritus Sanctus dedit, suum hoc vnum arbitrium eloqui. Absque personarum acceptione in veritate comperi, Personas memoratas in capite Leuitici octauo supra decimum prohibitas esse iure ipso naturali, authoritate humana minimè relaxabili, & vetitas ne inuicem matrimonium contrahant. Quo fit fraternæ turpitudinis abhominabilis reuelatio. Et hoc vobis signum nostri bedelli notarii publici, cum sigillo dictæ supra nostræ facultatis præsentibus appenso. Die decima Iunii. Anno verò a Christi natiuitate, millesimo quingentesimo tricesimo. Vt autem nostræ scriptionis pes & caput vni reddantur formæ, quemadmodũ sumus auspicati a precatione: ita claudamus illius, quo vtimur exemplo. Gratia domini nostri Iesu Christi, charitas dei, & communicatio sancti spiritus sit cũ omnibus vobis. Amẽ.

Cenſura facultatis ſacræ Theologiæ almæ Vniuerſitatis Bononien.

CVm Deus opt. Max. veterem legem nedum ad morum, vitæq; informationẽ, ac inſtitutionem ore ſuo tradiderit, idemq; humanitate ſumpta, mortalium redemptor Deus nouum condiderit teſtamentum, ſed ad dubia, quæ in multis emergebant, tollenda, declarandaq; contulerit, quæ ad hominum perfectionem elucidata non nihil conferunt: noſtras partes ſemper fore duximus huiuſmodi ſanctiſſima patris æterni documenta ſectari, & in rebus arduis, ac dubitabilibus ſuperno illuſtratos lumine noſtram ferre ſententiam, vbi cauſa maturè conſulta, multiſquè hinc inde rationibus, ſcriptisquè patrum dilucidata fuerit, nihil, quoad poſſumus, in aliquo temerè ferentes. Cum itaque nos præſtantes quidam, & clariſſimi viri obnixè rogarint, vt ſubſequentem caſum maxima diligentia perſcrutaremur, noſtrumq; ſubinde in eum iudicium ferremus æquiſſimè, ſoli veritati innitentes: in vnum omnes almæ huius Vniuerſitatis Doctores Theologi conuenimus,

mus, caſu prius per vnumquenq; noſtrum ſigillatim domibus propriis examinato, ſummaquè ſolertia per dies plurimos contractato. Illum vnà mox vidimus, examinauimus, contulimus, adamuſſimq; ſingula queque pertractantes ponderauimus, rationes quaſcunque contrarias, quas fieri poſſe cenſuimus, in medium afferentes, atque ſoluentes, etiam ipſius reuerendiſſ. D. D. Card. Caietani, nec non Deuteronomicam diſpenſationem de fratris ſuſcitando ſemine, & reliquas tandem omnes ſententias oppoſitas, quæ ad id negotii facere viderentur. Quæſitum eſt igitur a nobis, An ex ſola Eccleſiæ inſtitutione, vel etiam iure diuino prohibitum fuerit, ne quis relictam a fratre ſine liberis in vxorem ducere valeat. Quod ſi vtraque lege, ne fieri poſſit, cautum eſt, An quenquam poſſit Beatiſſ. Pont. ſuper huiuſmodi contrahendo matrimonio diſpenſare. Qua diligentiſſimè (vt diximus) ac exactiſſimè ſeorſim palamquè examinata, ac pro viribus noſtris optimè diſcuſſa quæſtione: cenſemus, iudicamus, dicimus, conſtantiſſimè teſtamur, & indubiè affirmamus huiuſmodi matrimonium,

um, tales nuptias, tale coniugium horrendum fore, execrabile, deteſtandum, viroquè Chriſtiano, immo etiam cuilibet infideli prorſus abhominabile, eſſequè a iure naturæ, diuino, & humano diris pœnis prohibitum. Nec poſſe ſanctiſſ. Papam (qui tamen fere omnia poteſt) cui collatæ ſunt a Chriſto claues regni cœlorum: non, inquam, poſſe aliqua ex cauſa ſuper huiuſmodi cõtrahendo matrimonio quenquam diſpenſare. Ad cuius concluſionis veritatem tutandam omnes in omnia loca & tempora parati ſumus. In quorum fidem has ſcripſimus, almæq; noſtræ Vniuerſitatis ac ſacri venerabilium Theologorũ Collegii ſigillo muniuimus, ſolita noſtra generali ſubſcriptione ſignantes. Bononiæ in Eccleſia Cathedrali, decima Iunii. Anno domini. M.D.xxx. ſub diui Clementis vii. Pontificatu.

☞ *Cenſura facultatis ſacræ Theologiæ almæ Vniuerſitatis Patauien.*

TEſtantur, qui Catholicam fidem aſtruunt, deum Opt. Max. legis veteris præ-

 cepta

cepta filiis Israel ad exemplar vitę, ac morum nostrorum institutionem ore proprio tradidisse, eundemquè trabea humanitatis indutum, redemptorem omnium factum, nouum testamentum condidisse, & nedum propter hoc, sed ad dubia quęcunque emergentia remouenda, dilucidandaquè nobis misericorditer condonasse. Quę ad nostri perfectionem enucleata fructus vberes conferunt & salutares. Nostrum semper fuit, eritquè per sęcula (vti christicolas decet) huiusmodi cœlebratissima summi opificis instituta sectari, & in quibusque dubitationibus, ac arduis quæstionibus supernaturali lumine freti, nostrum proferre iudicium, vbi res ipsa optimè considerata, multisquè hinc inde demonstrationibus, atque patrum authoritatibus maturè declarata fuerit, temerè, quoad possumus, nihil omnino iudicantes. Cum igitur nos quidam oratores clarissimi suppliciter exorarint, vt subsequentem casum diligentissimè perscrutari dignaremur, atque nostram ferremus exinde sententiam, soli veritati simpliciter attendentes. Qua ex re omnes huius almæ Vniuersitatis Doctores Theo-

 logi

logi in ſimul conuenimus, re ipſa prius per noſtrum quemlibet particulariter propriis domibus examinata, ſummaq́; cum ſolertia enucleata, mox in vnum redacti, cuncta conſiderauimus, examinauimus, omniaq́; ſigillatim ponderauimus: argumenta quæcunque contraria, quæ fieri quoquo modo poſſe putauimus, adducentes, atque integerrimè diſſoluentes, necnon Deuteronomicam diſpenſationem de fratris ſuſcitando ſemine, & reliquas omnes rationes atque ſententias oppoſitas, quæ ad id facere videbantur. Queſtio igitur talis fuit expoſita, An ex ſola Sanctæ matris Eccleſiæ inſtitutione, vel etiam de iure diuino prohibitum fuerit, ne quis relictam fratris abſq; liberis in vxorem ducere valeat. Quod ſi vtrobique fieri nequeat, cautũ eſt, An Beatiſſ. Pont. ſuper huiuſmodi contrahendo matrimonio quenquam diſpenſare legitimè poſſit. Quo exactiſſimè (vt dictum eſt) ſeorſim, publiceq́; diſcuſſo, ac pro viribus dilucidato quæſito: dicimus, iudicamus, decernimus, atteſtamur, atque veridicè affirmamus matrimonium huiuſmodi, tale coniugium, & tales nuptias nul-

las esse, immo detestabiles, atque execrãdas Christiano cuilibet esse prophanas, & vt scelus abhominandas, crudelissimis pœnis iure naturæ, diuino, & humano clarissimè prohibitas esse. Nec beatissimum Pont. cui claues regni cœlestis a Christo dei filio sunt collatæ, vlla ex causa posse super tali matrimonio contrahendo quenquam iuridicè dispensare. Cum illa, quæ sunt a iure diuino prohibita, non subsint eius potestati, nec in illa gerit vicem dei, sed solùm super ea, quæ sunt commissa iurisdictioni hominum. Ad cuius sententiæ, ac conclusionis veritatem tutandam, & eiusdem certissimam defensionem, omnes nos vnanimes semper & vbiquè parati sumus. In quorum fidem has nostras fecimus, almæquè Vniuersitatis nostræ ac sacri reuerendorũ Theologorũ collegii sigillo solito cõmuniuimus. Datũ Paduæ in Ecclesia Heremitarũ S. Augustini, die primo Iulii. M.D.xxx.

Censura Almæ Vniuersitatis Tholosanæ.

TRactabatur in nostra Tholosana Academia perq̃ difficilis quæstio, Liceat

ne fratri eam, quæ iam olim defuncto fratri vxor fuerat (nullis tamen relictis liberis) in matrimonio ſibi coniungere. Accedebat & alius ſcrupulus, qui nos potiſſimùm torquebat, Si Romanus Pont. cui eſt commiſſa gregis Chriſtiani cura, id ſua, quam vocamus diſpenſatione permittat: tunc ſaltem liceat. Ad vtramque quæſtionem cogitandam Doctores omnes regentes, qui tunc Tholoſæ aderant, coegit Rector in conſilium. Neq; id ſemel tantùm, ſed etiam iterum. Quippe exiſtimans præcipitari non oportere conſilia, indigereq; nos tempore, vt aliquid maturius agamus. Demum quum in vnum locum conueniſſent omnes tum ſacrarum literarum diſertiſſimi interpretes, tum vtriuſque cenſuræ conſultiſſimi, deniq; qui quauis in re & iudicio, & oratione viri fœlicibus ingeniis non mediocriter exercitati eſſent, ac ſeſe ſacroſanctis Conciliis parere velle, ſanctorumq; patrum haud quaquàm piis animis violanda decreta imitari iuraſſent, & vnuſquisq; ſuam ſententiam protuliſſet, atque in vtramque partem diffuſè decertatum eſſet: tandem in eam ſententiam

ſic

ſic fræquentius itum eſt, vt vno omnium ore alma noſtra vniuerſitas animis ſinceriſſimis, nulloq; fermento vitiatis cenſuerit, iure diuino pariter & naturali vxorem relictam fratris ſui nemini licere accipere. At poſtq̃ id lege eadem non licet, reſponſum eſt, non poſſe Pont. aliquem ea lege ſoluere. Nec huic ſententiæ refragari poteſt, quòd cogeretur olim frater vxorem demortui fratris accipere. Nam hoc figura erat, atque vmbra futurorum. Quæ omnia adueniente luce, & veritate Euangelii euanuerunt. Hæc quoniam ita ſe habent, in hanc formam redegimus, & per notarium, qui nobis eſt a ſecretis ſignari, ſigilliquè autentici eiuſdem noſtræ almæ Vniuerſitatis iuſſimus appenſione communiri. Tholoſæ. Kal. Octob. Annò a Chriſto nato, M. D. xxx.

OMitto hîc infinitas præterea Doctiſſimorũ virorũ cenſuras, omnes eadem ſententia & eiſdem fere verbis conſcriptas, quorum plerique etiamſi Papæ alumni, in ipſa Italiæ luce verſati eſſent, verbis tamen ſeueriſſimis huiuſmodi nuptias deteſtati

ſunt, etiam tum cum Pontificis authoritate ſunt contractæ, cum eas dixerint contra naturæ legem, contra ius diuinum & humanum iniri, fœdas, horrendas, abhominandas eſſe. His ſi tu nihil tribuis, ſi tuum vnius iudicium iſtis omnibus anteponas, nimiũ te amas, ſi mihi iſtæc fideliter recitãti non credis, iam cum in tranſmarinis regionibus ſis conſule illarum Academiarum Annales, ſi id longum aut faſtidioſum putas in Angliam redeas, ego tibi iſta in hiſtoriis noſtris & monumentis religioſè ſeruata cõmonſtrabo. Nihil hîc truculentum eſt, nihil ſæuum & ſanguinarium: ferrum flammamq; præſertim in Religionis & conſcientiæ cauſis nemini minitamur.

Altiùs in hanc cauſam diſcendam, ne quicquàm loci hominum impuriſſimorũ ſuſpicioni & inuidiæ relinquam, obiiciam ea non modò quæ tute fortaſſe poſthac diceres, ſed ea quæ diabolus ipſe mendacii & calumniæ pater tibi & tui ſimilibus iam antea ſuggeſſerit. Dices credo iſtas fere omnes Academias in hanc ſententiam eò libèriùs iuiſſe, quòd quæſtionis ſubtilitate eſſent circumuenti, quandoquidem illis

perſua-

persuasum erat Catherinam ab Arthuro principe carnaliter cognitam fuisse, cùm tamen non esset. Quid hoc potest vanius, aut stultius excogitari? & tamen quid potuit astutius & difficilius obiici, cum illius probatio ab omni verecundia sit longè alienissima? Non soletis credo Papistici, cum liberis operam datis testes conuocare, aut singraphas summo mane de eo conficere, aut id sigillis vestris, aut in perpetuam rei memoriam coram librario recognoscere. Si ista requiritis testimonia in iis rebus, quas natura solertissimè contexit atque abdidit, quæ Paulus, quæ ipse Christus viri & mulieris secreta appellat, nihil vobis probare possum, neque si possem vellem: sin verò eas probationes admittitis, quas natura patitur, quas ratio suadet, quas verecundia permittit, sic vobiscum agam. Homo iuuenis, flos ipse, per totos quinque menses fœminæ formosissimæ, in ipsa iuuentutis flamma, matrimonio coniunctus erat: audiuit, vidit, erat vnà quacum cupiebat maximè, amplexabatur, osculatus est, concubuit: carnalis ergo copula accessit. Nam (vt inquit Seneca) iuuenilis ardor

impetu primo furit. Et illam legem in membris nostris naturaliter habemus, nihil vt sit naturalius quàm maris & fœminæ coniunctio. Deinde cum homines confirmata ætate graues, nonnunquam decrepiti, aliquando cæci iis se flammis circumueniri patiantur, quæ (vt inquit M. Cicero) in mediis hominum visceribus exæstuant, est ne credibile iuuenem, delicatum, ratione ætatis genio indulgentem, promptum, agilem, lasciuientem, veneri illius ætatis deæ suauissimæ bellum indixisse? nihil ne voluptati, nihil naturæ legibus concessit? Cum senes deliri, vincti, insensati, monachi, heremitæ, papæ, id faciant cum non debuerint, id homo florente ætate non faceret cum liceret? Et cum alii fustibus, carcere, flagellis, cruce, prohiberi non possint, ille Cerere, Baccho, forma, lectulo, allici non poterat? Hic mecum fortasse Legendæ vestræ miraculis pugnabitis, in qua legitur nõnullos Reges (etiam istius Regni aliquot) post nuptias multis annis virginitate & pudicitia vtrinq; conseruata, cum vxoribus concubuisse. De pudicitia cum Paulo consentio, de virginitate vix audeo

affirmare. Sed vt illa fuerint ſummi dei miracula & myſteria, eſt ne igitur neceſſe idem in Arthuro principe multis poſt ſæculis contigiſſe? ſi creditis, cur illum ſanctis veſtris non interſeritis? cur illius continentiam legendis aureis aut potius plumbeis non commendatis? Id fortaſſe facietis poſthac, cum nemo ſit qui vos viua voce reprehendat, aut nemo tam ſapiens quin id credat. Interim quantùm ſe continuerit, ex noſtris Chronicis & hodierno viuentium ſermone recognoſcite.

Ea nocte qua primùm Arthurus cum Catherina concubuerat, ſummo mane potum efflagitabat: quod cum vnus atque alter audiret qui eo familiariter vtebantur: Quid eſt (inquiunt) nobiliſſime princeps quòd tantam magis in iſto tempore ſitim quàm vnquam alias contraxeris? quibus ille, (abſit interim verbis inuerecundia) me ne putatis (inquit) ſummo labore feſſum & fatigatum non eſſe, cum vna nocte per mediam Hiſpaniam peregrinatus fuerim? Sic ſane iuueni de vxore nobiliſſima Hiſpaniarum ſtirpe prognata iocari placuit. Eum qui tale aliquid commemorat

non procul putem abesse vt faciat, nec tam sanctum esse vt se contineat, qui de Veneris mysteriis iocari delectet, cum ex abundantia cordis os loquatur. Sed quorsum in istis insistimus? nihil illi credamus, fingamus illum vel Endimionis somno ita obdormisse, nunquam vt cum illa euigilarit, vel ita stupidum & insensatum fuisse nihil vt commoueri potuerit, negemus illi carnem & sanguinem, detrahamus omnes animi affectiones, nihil habuerit concupiscentiæ, voluptates spreuerit, oderit, contempserit, tamen & quid ipse dixerit audisti, & quid alii omnes crediderint (nisi iam antea legeris) non a me solùm qui ista diligenter sum perscrutatus, sed ex nostris Chronicis, ex diligentissimis illorum temporũ Symmistis, immo ex ipsis Catherinæ familiaribus & domesticis exaudies.

Cum ita diuinæ sapientiæ videretur, in cuius manu sunt omnia, quiquè fata pro arbitrio trahit atque retrahit, vt Arthurus summæ spei princeps supremum diem obiens vitam cum morte commutaret, Henricus illius frater, qui iure hæreditario princeps Walliæ debebat esse, plus vno mese eo

honore

honore caruit, quoniam Catherinam ex Arthuro grauidam fuiſſe non ſolùm omnes illius familiares ſuſpicabantur, ſed ipſa etiam Catherina id valdè ſperaret, adeo vt ne vel Henricus iuſta dignitate ſpoliaretur, vel hominum animos vana ſpes diutius occuparet (grauius enim vulnerant quæ diu expectata non contingunt) mulierum quarundam indagationi & iudicio res commiſſa eſt, quæ cum illam impregnatam non eſſe affirmaſſent, Henricus fratris titulo & honore Wallico donatus eſt. Hoc illius temporis iudicium, iſtius ſæculi calumniis & aſtutiſſimis Satanæ machinis quis non anteponet? Quid quòd ipſa Catherina (ſingularis conſcientiæ fœmina niſi hac vna in re honori ſuo nimium tribuiſſet) cum pontificiam diſpenſationem haberet vt Henrico nuberet, nouum quoddam indultum a Papa impetrabat, quoniam in priori illo diplomate iſta clauſula non erat (*Licentiam damus etiamſi fortaſſe cognita fuerat.*) O ſingularem ſpectatiſſimæ fœminæ virtutem, quæ nec apertè de dignitate ſua aliquid remitteret, nec veritatem tamen intimo corde defixam penitùs diſſi-

 mulare

mulare poterat. O mille testes conscientia, quæ verum quantumcunq; abstrusum tandem profers, nec ea semper latere pateris quæ summo artificio recondita videbantur. In illa fœmina nihil optari potuit sanctius, nihil melius desiderari, nisi quòd ea quæ contra dei legem & naturæ fuerunt, Papalibus indulgentiis remitti posse existimaret.

Hic tu rursum fortasse quæres, quæ ratio sit cur neque Rex, neque alius quisq̃ de ista re ante tot annos dubitarit, & an omnes Regni consiliarii adeo insipientes fuerint, ista vt præuidere non potuerint. Quid tibi ego respondeam nisi illud antiquum? fata volentes ducunt, nolentes trahunt. Erat fortasse aliquid deo in arcanis quod non dum contigit, aut quod nos per humanam imbecillitatem (si forte euenerit) videre non possumus. Tota ferè Anglia eò superstitionis & tenebrarũ post diuturna Papæ præstigia peruenerat, minimè vt dubitarent quin contra fas nefasq; dispensare posset: & qui inter reliquos prudentiores erant, quiq; errorem hunc facilè depræhendere potuissent, si quæstio aliqua

aliqua exorta fuiſſet, ita animum ad Catherinæ dotem adiecerunt, vt quid licitum aut illicitum eſſet minimè cogitarent. Id vnum iam tum illis erat ante oculos qui Reipub. clauum tenebant, magnum fore publicis regni vectigalibus detrimentum, ſi illa cum extero principe coniuncta tantas pecunias è regno abduceret. Ita princeps huius ſæculi Mammona iniquitatis oculos omnium perſtrinxit, prius vt viderent quid è Repub. eſſet, quàm quid Scripturæ imperarent animaduertere poterant. Et homines mundani in communi cauſa mundum hunc inferiorem cœlo prætulerunt. Quid nunc ais Sandere, num te errore lapſum fateberis, an potius reluctante conſcientia calumniari, cum dicas Henricum octauum Angliæ Regem Pontificis Romani poteſtatem ex Anglia eieciſſe, vt Annam Bollenam in Catherinæ vxoris locum introduceret, cum idem mille conſcientiæ furiis, mille ſuſpiriis atque lachrymis (vt ipſe publicè teſtatus eſt in Aula Dominicana) vitæ ſociam tā charam, tam pulchram, tam omni ex parte amabilem deſerere inuitiſſimè cogeretur? Sed quid

tibi venit in mentem vt dicas id Annæ Bollenæ causa & amore regem potius fecisse (nam id dicere vis dum inepto vocabulo introducere ais) quàm causæ æquitate & consciencia fretum, cum tamen id illi ante in animo erat, quàm illam per ætatem amare potuerat. Hæc tibi fortasse admiranda videntur homini in nostris rebus inscio, sed sunt sane verissima. Et ne tibi aliquid de meo videar effingere (qui non soleo ita temere affirmare vt tu) tempus tibi ostendam quo cœpit Catherinæ matrimonium in dubium venire, locos notabo, occasiones addam, quibus iste primum scrupulus in Regis animum iniectus est: authores Tragædiæ nominabo, nihil si fieri possit pretermittam, quod tu a me possis quærere, aut si id iam festinando breuitatis causa non faciam, aliàs meminero si opus erit, & tu efflagites. Non enim me latet istum iam antea sermonem quo tu nunc vteris in circulis & conuiuiis liberiùs exiisse, quosdam etiam fortasse Romani fastus asseclas & parasitos in aliorum gratiam, quod ipsi nescirent, furtìm scripsisse: sed hominem Anglum, grauem

Iuris-

Iuriſconſultum, hiſtoricum, Theologum, id in Eccleſiæ Monarchia ſcribere, quæ pura, integra, inuiolata, ſiue macula, ſine errore, ſine vanitate debet eſſe, ſemper putabam incredibile. Tu itaque Catherinam putas repudiatam vt Anna Bollena introduceretur, ego vero illam in ea cauſa fuiſſe vt repudianda videretur doleo, hanc diuino concilio introductam credo. Quid enim potuit fœlicius a deo concedi quam vt Anna Bollena Regi nupta vnicam totius orbis Phenicem pareret, id eſt Reginam tanta virtute, pietate, prudentia, miſericordia, vt eam omnes boni ament, mali reuereantur, hoſtes laudent, ciues admirentur? Quid quod illa quoties ad illam exterarũ gentium Oratores accedunt, tanta eos literarum & linguarum varietate excipiat, vt tanquam Meduſa homines in ſaxa admiratione commutet? Quid ego de illa dicam, cui tam impar eſt orati meá? cuius virtutes ſi poeta præſtanti aliquis ingenio fictis conquiſitiſq; ſententiis vellet exprimere, nullas quæ in ea non eſſent reperire poſſet, multaſq; in illa penitus defixas atque inherentes præteriret. Huius

tu matrem homo in tuos ciues ingratus, in patriam impius, in principem inofficiosus, tam miserandi repudii causam facis, cum illius prima occasio Henrico nihil de ea re somniante, & Anna Bollena iam tum in Galliis agente, ab exteris nationibus primùm profluxerit, immo ab illis quibus Catherinæ nomen summo in honore habebatur. Longiùs enim quàm putabant res serpere occœpit, & incenso semel igne flammas suffocare non poterant. Cum enim vnicam Catherina filiam haberet, eaquè iure nostro cõmuni regni iam tum hæres esset, Hispani homines in suis rebus acuti & perspicaces, cum in Anglia fœminas succedere satis cognoscerent, diu multumq; consultabant, quibus demum modis Imperatorem Romanum cum eadem matrimonio coniungerent, dumquè multas rationes inirent quibus id efficerent, vnus tandem inter cæteros ingenio atque sapientia excellens dubitare videbatur num Catherina esset legitimè nupta, & proinde an Maria esset legitimè nata, postremò etiamsi de eo iam tum nulla quæstio esset, tamen si Henricus sine filiis

dece-

decederet, & ex illis nuptiis Regni emolumenta ad exteros peruenirent, non dubitabat quin Angli (quum satis essent ad rem attenti, & præsertim cum principem peregrinum valdè non amarent) & de vnius natalibus, & de alterius nuptiis satis multas quæstiones mouerent. Hæc in illo concilio non erant ita religiosè tecta & cœlata, quin fama (vt est velox & loquax dea) eadem in Angliam ad Volsæi aures adduceret. Ille homo impurus, vafer, corruptissimus, & Hispanis infensus, quia Archiepiscopatum Toletanum obtinere non poterat, & Reginæ exosus, quæ illius superbiam & libidines sæpenumero reprehendebat, istas occasiones statim arripuit, & conscientiæ vmbraculo fretus, regis animum vitæ anteactæ stimulis confodit.

Quieuit tamen paululum Rex & in re tam magna respirandum putauit. Cum ecce subitò eadem quæstio in Galliis renouata est, cum eadem Maria Catherinæ filia Duci Aurelianensi desponsata foret: Quas quidem nuptias cum Volsæus pecuniis Gallicanis quotannis corruptus efficere debuisset, tanta rursus de Catherinæ matri-

monio dubitatio erat, vt incertæ ſucceſſionis ſpei credere Gallus non auderet. Id itaque negotium a Galliarum Rege cum magna pecuniæ vi Volſæo datum erat vt omiſſa Aurelianenſis mentione, Regis animum tantis conſcientiæ terriculamentis exagitaret quòd fratris vxorem duxiſſet, vt dimiſſa Catherina animum ad illius ſororem Alenconiæ Duciſſam poſſet adiicere. Hoc Volſæus & nummorum cupiditate & Reginæ odio incenſus iterum agreditur, Regem eo doloris & miſeriæ, perſuadendo adducit, non modo vt de regni ſui ſucceſſione (quo nihil in hoc mundo antiquiùs habuit) ſed prope etiam de ſalute & regni cœleſtis hæreditate diffidere coegerit. Rogat Rex quid in re tam magna tot annis inueterata faciendum putaret. Reſpondit Volſæus nuptias illegitimè contractas legitimè derimendas eſſe: peccatum ex propoſito fore ſi iam cum ſciret iniquas eſſe in iniquitate perſiſteret: Papæ ſanctitatem in hac re implorandam eſſe, ipſe interim diligentiam, conſilium, auxilium pollicetur: denique vt res minimè ficta aut noua videretur, literas ad pontificem ſcri-

bit in quibus causæ magnitudinem, fœditatem, impietatem ostendit, cumq; rem omnem ex animi sententia ferè confecisset: vidit Henrici animum, ad Galliarum Regis sororem (quod ille tantopere optabat) minimè propendêre. Hic cum in magno dolore esset, nouas pontifici literas mittit, pœnitet quicquam de Catherinæ repudio conscripsisse, ipsum pontificem rogat, vt sententiam tanquam nauigium aliquod ex Reipub. Christianæ tempestate moderetur: secundas cogitationes prudentiores esse affirmat, mirificè concussam fore Papę authoritatem, si quod Pontifex Iulius approbasset Clemens reiiceret, denique summas inimicitias, summas tragædias inter Regem & Papam excitat. Sed hic tragædiæ finis erat: Papa propter iniurias & abusus iniquissimos è Regno eiectus, Volsæus propter astutiam & dissimulationem bonis interdictus, Regina cum summo Regis merore & lamentis ab illius thoro & consuetudine disiuncta erat. Rex igitur non vt Annam Bollenam introduceret (quę vix dũ viro matura erat cum istos ignes incendere Volsęus primùm cœpit) sed exterarum

nationum opprobriis & rumoribus turpiſſimis laceſſitus, perpetuis Volſęi ſuaſionibus tãquam œſtris percitus, denique aſperrimis conſcientię ſtimulis exagitatus vxorem dimiſit. Sed ſatis iã hoc voluo ſaxum, pergamus ad reliqua.

Hanc Pontificiam poteſtatem (inquis) *Regina Maria Catherinæ filia vt desereret adduci nunquam potuit*. Nunquam ne potuit adduci vt deſereret? vnde id intellexiſti? ſemper ne illi ante oculos atque adeo ad manum aſtitiſti? eras ne iam tum illi a conſiliis cum primùm rerum potita omnes regni ordines ad ſe alliceret? cum ſuauiſſimis verbis turbas omnes quę impendêre videbantur placare conarétur? Nunquam ne audiſti eam Freminghamię ſanctè pollicitam eſſe, ſe nunquam Papę authoritatem intra regni iſtius fines admiſſuram? ſi hoc non eſt deſerere quid tandem vox illa ſignificat? At admiſit (inquis): fateor, at promiſſum violauit: at melius eſt (ais) iſtiuſmodi vota reſcindere, at id ego inficior: & quantumuis eſſet verum, non probas tamen minimè deſeruiſſe. Addis deinde *adduci non potuit vt desereret etiamſi*

mors

mors illi, viuête Henrico, ob eam causam intentata fuisset. Tu herclè si saperes Henrico mortuo id factum dixisses, quò probabiliorem populo orationem faceres. Nam errare humanum est, crassè & turpiter hallucinari belluinum. Sed O tempora, O mores, quid hodie non fingitis, non modò in Regum & Rerumpub. causis, sed in ipsis etiam religionis momentis? Quis istam necem Mariæ intentauit? quem mihi (cum de eo fingendo quatuordecim iam annos studueris) nominabis? patrem ne? At quis vnquam carnem suam odio habuit? alium ne aliquem? at quis viuente patre tantum facinus facere est ausus? Quas historias, quos Annales, aut potius quas fabulas aniles narras? Sed satis scio quid sentias si vera posses dicere: Henricus cum Catherinam repudiasset & Annam Bollenam in vxorem duxisset, diuino beneficio nata est Elizabetha summæ spei filia. Hanc Henricus principis titulo & honore insigniri & ab omnibus cœlebrari præcepit. Quod cum Maria, etiam atque etiam pertinacissimè facere renuisset, egit primum cum ea verbis pater, vt obtemperaret, deinde

cum nullo modo resipisceret, supplicii minas addidit, de morte verbum nullum quod vnquàm legerim aut audierim: neq; est credibile cum contra naturam esset. Rex ergo Mariæ sororis honori & patris præcepto indecorè reluctanti succensuit, mortem non intentauit quia Papam non desereret. Nihil enim viuente Henrico, nihil regnante Edwardo sexto publicè profitebatur, quod contra constitutas de religione leges esset. Pergis deinde. *Cum igitur Deus Mariam regno Angliæ præfecisset, illa honorem sedi Apostolicæ debitum publico regni assensu reddendum curauit.* Debitum tu illum honorem appellas, quem omnes Angliæ Reges saltem qui sapientiores erant, illi tanquam bolum è faucibus extorserunt? si etiam totum Angliæ regnum & diadema regium dedisset, isto modo debitum etiam fuisset. Sed bene mehercule cecidit, quod honorem debitum publico regni consensu tributum dicas: nam si id publicus regni consensus dare potuerat, cur etiam non poterat adimere? iuxtà Reg. iuris. Nihil tam naturale est quàm eodem genere quodq; dissoluere quo colligatum

gatum eſt, ideoq; verborum obligatio verbis tollitur, nudus conſenſus cõtrario conſenſu diſſoluitur. Sed hanc tu fortaſſe Iuris ciuilis Regulam leguleius dices in ſpiritualibus non tenere, & quaſi Papa matrimonium cum Anglia contraxiſſet, quos Deus (inquies) coniunxit, homo ne ſeparet. Ego contra dicam quos deus ſeparauit homo ne coniungat. Hîc ſi tu ad Eccleſiæ primatum confugias, quam politica prudentia non ius diuinum conſtruxit, ſi antiquis me rationibus obtundas, ego te antiquis reſponſionibus retundam: ſi Petrum nominaueris, ego Paulum continuò memorabo, ſi Scripturæ locos adferas, eoſdem in te retorquebo; ſi doctores ſubſidiarios adducas, ego illos tibi inimicos faciam, ſi Eccleſiæ authoritate vrgeas, cum puram & primitiuam ſentias, pro me facis (erant enim omnes Apoſtoli in ſua diocæſi viri primarii, & debitum illum quem dicis honorem habebant) ſin verò corruptæ & deprauatę Eccleſiæ adhæreſcas, quæ aliquando biceps, nonnũquam triceps erat, vt Ianum aut Cerberum ab inferis reſuſcitatum quis putet; ego illam te dig-

 nam

nam iudicabo, & tantundem illi quantum tibi hæc ſine ſenſu, ſine ratione, ſine authoritate dicenti credam. Sed ad te redeamus.

Maria (inquis) ſine liberis mortua cum Elizabetha Annæ Bollenæ filia Regium thronum occupaſſet, mox de reijcienda Romani Pontificis authoritate cogitare cœpit. Addis etiam (*nec iniuria*) quod ego ſanè ſeriò dixiſſem niſi id tu homo facetus per ludibrium addidiſſes. Patris enim iniurias & periculum filia tam cito obliuiſci non potuit. Id ſanè fecit quod illius maiores ſæpenumero factitarunt, non ita (quod ſciam) ſeuieris & expreſſis legibus, quia Papæ improbitas nunquam aliàs tam aperta & expreſſa erat, nec adeo importuna & peſtifera illius tyrannis apparuit. Sed vide obſecro (quod te ſat ſcio ignorare) quid minori in re, & cauſis leuioribus nonnulli iſtius Regni principes de Papæ poteſtate fecerint. Imperante Edwardo illius nominis primo qui de Scotis toties triumphauit, cœpit pontificis Romani libido longius in Anglia ſerpere, & eo vſq; proceſſit, vt ſacerdotia pleraque in ſuos tri-

bules pro animi libidine conferret. Quocirca ne ex illa ſcintilla ingens flamma oriretur, ſtatuto Carleolenſi cautum erat cum Rex triginta iam annos regnaſſet, ne huiuſmodi iuriſdictionem in Anglia Papa exerceret. Non ita multo poſt cum in ciuem quendam Pontificis Romani excommunicationem quidam denuntiaſſet, imperauit Rex vt in crucem tolleretur, & dilaniatis membris turribus imponerentur, quod e veſtigio factum eſſet, niſi regni Cancellarius homo pius a Rege impetraſſet, vt exilio hominis ſtulti & inſani contentus eſſet. Quid dicam de Edwardo tertio, & Henrico quarto? quibus regnantibus, cum Papa quoſdam excommunicationis ſententia configeret, & propterea in iudicio ſtare non poſſe putarentur, ab ipſis regni iudicibus apertè pronuntiatum erat, de regni noſtri iure & conſuetudinibus nullas iſtiuſmodi extraneas excōmunicationes alicuius vnquam momenti fuiſſe aut in poſterum eſſe debere: Sed eos grauiſſimis ſuppliciis afficiendos qui iſtiuſmodi ſententias executioni mandarent.

Iſtam illorum principum ſeueritatem

 quis

quis non videt eò grauiorem fuiſſe, & quoniam ſummum periculum impendêre videbant, ſi contra antiquiſſimas Britanniæ conſuetudines extranea poteſtas paulatim inualeſceret, & quoniam huic inſolentiæ maiores ſuos ſæpius reſtitiſſe meminerunt. Nam cum Henricus eius nominis tertius, poſt turbulentiſſimas patris tempeſtates rerum in Anglia potiretur, omnesq; Regni ordines de rege reginaq; coronandis ad Cœnobium Meritonenſe conuenirent: incidit tum forte quæſtio, num filius ante nuptias procreatus per ſubſequens matrimonium legitimus fieret. Res primùm ad Epiſcopos delata eſt, cumq; ab eis quid ſentirent quæreretur, reſponderunt ſe non poſſe illegitimum pronunciare, niſi id in Eccleſiæ Romanæ præiudicium facerent. Regem itaque regniq; Dynaſtas impenſè rogabant, vt in illam ſententiam irent. Reclamarunt omnes ſtatim proceres, antiquiſſimas ſe patriæ ſuæ leges exterarum nationum conſtitutionibus ſubiici nolle, nec quicquam in cuiuſq̃ gratiam commutari. Homines mehercule tandem ſapientes, qui nunc demum probè memine-

runt,

runt, quibus bellorum fluctibus, quàm misera & infanda ſtrage,& ipſi, & eorum patres agitati eſſent, cum non ita pridem Pontificis Romani authoritatem contra Iohannem Angliæ Regem defenderent. Re iam tum recenti, & exulceratis adhuc multorum animis obliuiſci non poterant, qua aſtutia, quibuſq; artibus Papa per Pandulphum Legatum plebem in conciues, filios in patrem, ſubditos in regem concitaſſet: ne id quidem exciderat, Galliæ principem in Angliam immiſſum, totam Inſulam ſpoliis expoſitam, coniurationem ab hominibus Eccleſiaſticis initam, ipſum denique regem veneno ſublatum. Hinc credo antiquiſſimas Angliæ leges enatas eſſe, ne quis Romani Pontificis Legatus aut alius religioſus regni fines ingrederetur, niſi ſolenni prius ſacramento promiſiſſet, ſe nihil inferre quod aut ipſi Regi aut regni legibus & conſuetudinibus derogare poſſit, aut ipſius pacem quoquo modo infringeret. Quod ſi maiores noſtri in iſtis legibus conſeruandis tam fuiſſent animoſi & conſtantes, quàm erant in promulgandis prouidi & ſapientes, nec

Romanum nomen in Anglia tam peruagatum vnquam fuiſſet, nec in eodem reiiciendo (cum iam præſcribere & vſucapere ſine bona fide Papa volebat) tantæ tragædiæ excitatæ eſſent . . Vtinam profecto Gulielmi cognomento Rufi exemplum imitati eſſent, qui vt principiis obſtaret Archiepiſcopis, & Epiſcopis ſuis viua voce edicere in hæc verba ſolitus eſt, *ne ad Curiam Romanam vel ipſum Papam reſpectum aliquem haberent, præſertim cum iam a veſtigiis beati Petri videantur Romani Pontifices (præmijs inhiantes) exorbitare. Ego mihi (inquit) in regno meo parem dum viuam ſuſtinere non poſſum.* Magna ~~mehercule~~ vox & eo ipſo ~~per quem iurauit herculè~~ digna. Huius pater Gulielmus primus, Rex Angliæ, idemq; Neuſtriæ princeps (vti teſtatur Rogerus Ceſtrenſis) nullam Pontificis authoritatem in hoc regno admitti voluit, niſi quatenus ipſe conſenſum præberet; nec quicquam ibi definiri niſi quod ipſe prius approbaſſet, immo vero nihil de rebus Eccleſiaſticis decerni voluit, niſi ipſe non ſolùm intereſſet ſed etiam præfuiſſet, vti iam olim de eo ſcripſit Sigiſbertus

Matth. Paris: An. 1094 in hiſtoria minori.

Gembla-

Gemblacensis cuius hæc sunt verba. *Congregatum est (inquit) concilium in vrge Rothomagensi præsidente Gulielmo Anglorum Rege Normaniæ principe, & Johanne Archiepiscopo Rothomagensi, & Odone Baiocensi Episcopo, & Hugone Luxouiensi, & Michaele Abriucensi, Gilberto quoq; Ebriocensi, & Roberto Sagiensi, in quo tam de negotijs Ecclesiasticis quàm de regni vtilitatibus diligenter tractauerunt. Idem quoq; Rex anno sequente multa regno suo & Ecclesiæ valde necessaria constituit.* Erat itaque (vti hîc videre licet) Rex Angliæ non solum patriæ pater, sed consiliorum Ecclesiasticorum præses, vindex temeritatis Romanæ, propugnator religionis, nec vllam habebant Episcopi iam tum authoritatem, præter eam quam a Rege acceptam referebant. Ius testamenti probandi non habebant, administrationis potestatem cuiquam delegare non poterant, ne ipsi quidem testamenta facere de iure communi, dum id illis regnante Henrico tertio concessum erat, & confirmatum viuente Edwardo primo qui eandem potestatem Scotiæ Episcopis tribuit, quæ antea Anglicis concessa erat. Vides itaque San-

dere post annum domini millesimum, & (vt nos vulgo loquimur) post Conquestū, omnes fere Reges (saltem qui sapientes & animosi erant) Romano Pontifici vel apertè restitisse, vel illius libidini longius debacchanti capreolos quosdam & ramusculos amputasse: qui tamen sic indies tanquam Hidræ capita repullularunt, nihil vt magis Henrico octauo necessarium fuerit, quàm ipsum truncum penitùs excindere. Veniamus iam ad ea quæ sunt in ipsis Ecclesiæ nostræ cunabulis conscripta, totū antiquitatis iter percurramus, & primum Saxonicorum temporum seriem explicemus. In quibus etiamsi omnia obscuritatis plenissima sint, propter assiduas Danorum & Noruegiensium iucursiones, cum tamen in nostro iure communi, Saxonicæ leges sæpius recitentur, cumq́; singulari quorundam studiosorum industria effectum sit, vt multa hodie illarum monumenta videantur: non dubito quin ex illis poterit elici, quam tandem Romanus Pontifex, authoritatem in hoc regno habuerit. Extant adhuc Ethelredi, Edgari, Edmundi, Athelstani, Inæ, Aluredi leges

fide-

fideliſſimè conſcriptæ, in quibus de fide in deum, de pietate, de feſtis & feriis, de ritibus & ceremoniis, de baptiſmo, de matrimonio, de fornicatione, de adulterio, de funeribus, denique de toto religionis ſtatu multa ſunt exactiſſimè ſapientiſſimèq; decreta, cum tamen de Papa verbum ferè nullum ſit. Si is iam tum Eccleſiæ noſtræ caput fuiſſet, non dubito quin iſtæc omnia ab eo conſtituta eſſent, ſed illud certo certius eſt, illius Canones decreta & decretalia recentiſſimis temporibus in Angliam admiſſa eſſe, & iſtis conditionibus omnia quatenus antiquiſſimis regni legibus nō repugnarent. Quodſi Papa aliquid iam tum iuriſdictionis hic terrarum habuiſſet, homo omnium iniquiſſimus eſſet, qui Anglis Chriſtianam pietatem ſinceriſſimè profitentibus nullas ſuppetias tuliſſet, cum a Danis infidelibus aliiſq; Barbaris pluſquàm ducentorum annorum bellis exhauſti eſſent. Sed & Pontifices iam tum ſuis limitibus contenti erant, & reges qui in terris Imago dei ſunt, quiquè de Iure Angliæ perſonæ mixtæ & ſpirituales appellantur, rerum

ſpiritualium & diuinarum curam habebant, id quod locupletiſſimè Rex Edgarus teſtatus eſt in ea oratione quam ille ad Dunſtanum Archiepiſcopũ reliquoſq; regni Præſules & Sacerdotes habuit. *Meæ ſollicitudinis eſt (inquit) Eccleſiarum miniſtris neceſſaria procurare, paci illorum & quieti conſulere, de quorũ omnium moribus ad nos ſpectat examen, ſi vixerint continenter, ſi honeſtè ſe habeant ad ea quæ foris ſunt, ſi diuinis officijs ſolliciti, ſi ad docendum populum aſſidui, ſi victu ſobrij, ſi moderati habitu, ſi in iudicijs diſcreti, vobis itaque committo hoc negotium vt authoritate regia, & Epiſcopali cenſura turpiter viuentes de Eccleſijs eijciantur, & ordinatè viuentes introducantur.* O verè Regiam vocem cui omnes tanquam præcellenti obedire debent, & cuius poteſtati omnis anima ſubdita eſt. Quid quod toto tempore Saxonico Epiſcopi a regibus inaugurati ſunt per inueſtituram anuli & baculi, vt ex literis Gulielmi Neuſtrienſis ad Pontificem Romanum ea de re conſcriptis apparet? Is quia Papalibus ſubſidiis atque ope vſus erat cum primùm in Angliam veniret, ſperabat Papa magnam fore deinceps

in

in hac Insula authoritatem suam, aut saltem non minoris momenti quàm in regionibus circumuicinis esset. Quocirca ad Episcopatus & Sacerdotia animũ quàm primùm adiecit: quod cum ad aures regias percrebuisset, Papam Christianissimè admonuit, se contra antiquissima istius terræ iura facturum, si alienigenæ alicuius potestatem agnosceret., vel reiectis anulo & baculo, Romanam Pallæ ceremoniam amplecteretur. Huius vestigiis illius filius insistens Anselmo Pallæ inhianti acerbissimè minitatus est. Vlstanus etiam Wigorniensis Episcopus (vti testatur Matthæus Parisius) cum a Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi accusaretur, quòd literarum imperitior erat quàm Episcopum decuit, & proinde ab eo sollicitaretur, vt de iure suo discederet, ego (inquit ille) me scio indignum illo honore, & proinde apud sanctum Edwardum regem eundemquè Confessorem (a quo accepi) libens deponam: ad cuius cum postea sepulchrũ & statuam accederet, baculum eidem reddidit, quod quo miraculo exciperetur non dicam. Nota est historia, & ego prodi-

gioſè facta admirari potius ſoleo quàm dicere. Sed ad antiquiora veniamus.

Cum Auguſtinus qui vulgo Anglorum Apoſtolus dicebatur, circiter annũ ſalutis 596. a Romano Pontifice ad Ethelbertum regem miſſus eſſet, vt cum bona illius venia fractis iam pridem Britannis nouos in fide ſpiritus adderet, qui per multas Walliæ partes diuinam Religionem vſquè ab aduentu Ioſephi Aramathei ſemper retinuiſſent: mirabantur primùm Britanni quid hoc monſtri eſſet, quod Alienigena id mùneris in ſe ſuſciperet, & adeo erat incognitum Romani Pontificis nomen, vt quoſdam ad illum emitterent, qui diligenter animaduerterent, num ex deo eſſet, num in humilitate & pietate, an in faſtu & ſuperbia veniret. Et quoniam eius ſpiritus altos magìs quàm vtiles putabant eſſe, etiamſi Chriſtianam in eo fidem facilè & in optimam partem agnouerunt, religionis tamen illi habenas atque gubernacula vt traderent adduci non poterant. Illius ſe authoritaté pro nihilo putare dicebant, cum ſeptem iamdudum Epiſcopos ex ſuis, & vnum Archiepiſcopum haberent. Iſtis

com-

commotus vehementer Augustinus, ad Regem se quamprimùm confert, orat (cum illius causa in Insulam appulerit) ne tam grauem repulsam ferat, nec tam suam in eo authoritatem contemni suadet, quàm regis maiestatem & Christi Ecclesiam: denique magnopere hortatur ne tantam Britonum temeritatem inultam patiatur. Rex iracundia iam statim incensus, Elfredo, genero suo Northanhumbrorum regi Pagano, ac Christiani nominis hosti nuntios mittit, orat vt ad Legionum vrbem illi det obuiam, vt iunctis simul copiis, Britonum contemptum acerrimè vindicent. Cessit ea res Regi ethnico & Christiani sanguinis sitienti ex animi sententia: nam omnium opinionem celeritate sua vicit, cumq; ad manus peruentum esset, cecidêre in eo prælio duodecim millia Britonum piæ Religionis & vitæ integerrimæ, qui in diem tantummodo viuentes, labore manuum miseram vitam in Cœnobio Banachorensi sustentabant. Non libet hercle liberiùs post tot annos diuinare qualis iste fuerit Augustinus, cum Religionem Christianam pro-

fessus sit, nec omnino iam esset deprauata Ecclesia Romana, sed cum illum legam quadam magnificentia gloriosè intrasse, ferro & flamma vsum esse, ad Archiepiscopatum breui spatio conscendisse, id malum ex illis temporum tempestatibus tanquam hæreditario iure in Romanam Ecclesiam discendisse existimo. Nostræ tamen Angliæ ita deus semper propitius extitit, vt nec authoritas pontificia cum Augustino penitùs intrauerit, & eo mortuo, Romanum nomen breui spatio vnà cum illo extinctum videretur. Potuerit fortasse aliquandiu inter tot Anglosaxonum reges (cum septem numero essent) quandoq; reuiuiscere, & vt quisq; erat obtusiori ingenio, ita fortasse apertiores habebat aures ad illos Syrenum cantus (qui post quingentos annos in illa sede ferè non defuerunt): nunquam tamen in vniuersum ita conualuit nequitia, vt eandem vel omnes simul amplecterentur, vel pauci ad annos aliquot retinerent. Nam & Britanni (qui fracti iam tum per omnes Walliæ oras sparsi fusiq; vagabantur) traditam ab Apostolorum temporibus disciplinam &

Religi-

Religionis formam mordicùs retinuerunt, & Reges Saxonici posteaquàm ethnicam impietatem deposuissent, & ad deum conuersi essent, mirum & propè incredibile est quanta pietate & Religione essent. Multi Confessores, nonnulli Martyres erant, omnes denique quoad poterant Lucii Britonum Regis exemplũ imitati sunt. Qui cum diuino instinctu ad fidem Christianam adduceretur, ipse in se omnem Religionis curam, omnem Ecclesiarum gubernationem tanquam verus dei in suo regno vicarius suscepit, id quod ex literis ipsius Romani Pontificis ad eundem ea de re conscriptis apparet. Nam Lucius iste cum diuinæ lucis radium in suam animam descendere perspiceret, & vt oculorum sic mentis aciem cœlesti quodam splendore illucescere, tamen vir dei ita sibi non placuit, quin de re tanta alios quoquè consulendos putaret. Et quoniam regiones vniuersæ adiacentes scripturas sacras aut tum perfectè satis non recepissent, aut propter barbarorum incursiones publicè profiteri non auderent: emisit legatos quosdam qui ab Eleutherio

Romano Pontifice peterent, vt eas illi leges & viuendi formulas non dedignaretur tranſmittere, quæ in illa Romana iuriſdictione iam tū erant vſitatiſſimæ. Quibus Eleutherius in hæc verba reſcripſit. *Petiſtis a nobis leges Romanas & Cæſaris vobis tranſmitti, quibus in Regno Britanniæ vti voluiſtis. Leges Romanas & Cæſaris ſemper reprobare poſſumus, legem Dei nequaquam. Suſcepiſtis enim nuper miſeratione diuina in regno Britanniæ legem & fidem Chriſti, habetis penes vos in regno veſtro vtramq; paginam, ex illis Dei gratia per conſilium regni veſtri ſume legem: vicarius enim Dei eſtis in regno veſtro iuxta prophetam regium. Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Et rurſum: Deus iudiciū tuum Regi da. &c. Et paulò poſt. Gentes Regni Britanniæ & populi veſtri ſunt, eos diuiſos debitis in vnum ad concordiam, pacem, fidem, ad legem Chriſti, & ad ſanctam Eccleſiam reuocare, fouere, manutenere, regere, protegere, & ab iniurioſis, malicioſis, & inimicis ſemper defendere. Det vobis Omnipotens Regnum Britanniæ ſic gubernare, vt poſsitis cum eo regnare in æternum cuius vicarius eſtis in regno prædicto.* O Pontificem verè pium,

O vi-

O virum dei, O Christi imitatorem pietate, modestia, humilitate singularem, qui non dixit, mihi subditi sunt Alienigenæ, ego sum supra omnia quæ fecit deus, ego sum vniuersæ Ecclesiæ caput in terris: sed in spiritu lenitatis, *vos estis vicarius Dei in regno vestro, habetis penes vos vtramq; paginā, vnxit te Deus oleo lętitiæ prę consortibus tuis.* Quid tibi ego infinita alia regum Britannicorum exempla adducam, qui & ipsi supremam semper Ecclesiasticæ disciplinæ potestatem exercebant, & post excussas Cæsarum legiones & præsidia de Romana potestate ne somniarunt quidem? Quid tibi leges alias innumerabiles, quid Saxonicas consuetudines, quid Normannica diplomata, quid regias prærogatiuas commemorem, cum & nostrum idioma exteris nationibus & iuris vocabula tibi ipsi sint incognita, cumq; immensi voluminis esset ea omnia gradatim recensere, quę de Pontificia authoritate rescindenda, a maioribus nostris diligentissimè sunt promulgata? Quid hic addam quibus artibus, qua astutia, quibus factionibus, quo duce cœpit primùm Papalis authoritas per

multas Italiæ partes ſerpere, deinde in alias regiones expatiari, poſtremò in iſtam Inſulam tanquam in alterum orbem penetrare? Non conſtitui in iſto tempore prolixior eſſe quàm neceſſe erit: pauca tibi tantummodo deguſtanda præmittam, reliqua cum opus fuerit deinceps perſequar. Satis nunc erit in ipſius Lucii, & primitiuæ puritatis veſtigiis inſiſtere, aut ſi id parum eſt, ſatis erit totam Regum Britannicorum & Saxonum ſeriem (qui homines erant religioſiſſimi) in Eccleſia inſtituenda conſectari. Horum omnium inſtituta, vitas, leges, exempla, cum illuſtriſſima Regina Elizabetha (qua eſt literarum excellentia) non ignoraret, cum ſatis cognoſceret & quid iure diuino debebat fieri, & quid de Iure Britanniæ licitum & conſuetum erat, & quid illius Maiores ab ipſis eccleſiæ noſtræ initiis ſemper feciſſent: num illa dubitare poterat quid factura eſſet? Cum iſtuc ipſum Pontificis Romani contra ſe teſtimonium vidiſſet, cum iſtas illius literas inter leges ſancti Edvvardi ſæpiſſimè commemoratas reperiſſet, cum quid actum erat anno domini

mini

mini centesimo, quinquagesimo, sexto planè perspiceret, num post annũ domini millesimum, quingentesimum hærere debuerat quid de Ecclesia Dei, & illius institutione faciendũ erat? Illa igitur cum id fecerit quod iure diuino & humano debuerat, quod illius maiores a primis rei Christianæ initiis iustissimis de causis factitarunt, quod omnes boni optabant: non reiecit istam authoritatem importunissimam, ne (vt tu dicis) suæ matrisq; honori derogatum esset, quam illa Cathedra illegitimè nuptam pronuntiauerat: sed ne in deum, in leges, in se ipsam, & in regnum peccaret.

Sed dic dũ obsecro hoc rursum, pronuntiauerat ne Romana Cathedra Elizabethæ Reginæ matrem Henrico regi legitimè nuptam non fuisse? quo obsecro iure, quaue iniuria, qua fronte? aut quando id ab eo factum est? si ante nuptias id fecit, ego illum posthac non Pontificem maximum, sed populi Romani Aruspicem putabo: si post nuptias, imber erat post tempora frugum illius sententia, & Phrygiæ sapientiæ non absimilis. Eiectus enim ex Anglia,

iure diuino & humano explosus, tum cum nullam authoritatem habebat, authoritatis suæ prærogatiua vti voluerat. Et cum pacatis nostris in rebus ita sceleris sui faces inflammasset, vt nos illum vix isto spiritu dignum putaremus, eiusq; mores adeo exosi essent, vt illius nomen e chartis omnibus & libris delendum existimaremus, ille tamen nostrarum rerum iudex esse voluit, & non modò populi, sed regum reginarumq; causas ex animi morbo & libidinis impetu tractare. Nam Henricus si non dubitasset quin Papa contra ius diuinum dispensare potuisset, si illum semideum agnouisset, si illius pedibus ceruices supposuisset: illo non modò consentiente & suffragante (quod iamdudum fecerat) sed etiam pronuntiante & iudicante repudiata esset Catherina, Anna Bollena legitimè nupta diceretur, & quicquid Rex volebat præterea, firmum ratumq; fuisset. Verum posteaq̃ illius omnipotentia in dubium venit, & illæ nuptiæ quæ antea horrendæ dicebantur, factæ sunt legitimæ, & illæ quæ erant diuino concilio initæ, illicitæ statim sunt appellatæ: denique ma-

lum bonum, & bonum malum videbatur. Pergis deinde. *Ne igitur aut matrem illegitimè nuptam, aut seipsam viuente adhuc priore regis coniuge illegitimè natam fateretur, maluit sedi Apostolicę in æternum stanti atque adeo florenti repudij libellum dare, quàm breui perituro honori suo quicquam detraxisse videri*. Hic ego Sandere modestiam & verecundiam tua ætate & tuo gradu dignam requiro, & nisi literis tuis & annis aliquid tribuerem, illis te orationis aculeis configerem, facilius vt posses meminisse, quàm sit iniquum te ista dicendi impunitate & petulantia, in principum & Rerumpub. momentis vti. Vnde tibi sunt ita cognitæ serenissimæ nostræ Reginæ cogitationes? num illa tacitè tecum aliquando sensit? num tuorum cuipiam istuc significauit? non dices credo: quid igitur suspicionibus agis? quid rumusculis in re seuera contendis? Ego quoq; si Christi vnctos vellem tangere, si verborum & suspitionum licentiam in regum causis, subditis & priuatis non indignam putarem: qui minus dicerem Mariam Reginam Romanæ sedi honorem indebitum propterea red-

didiſſe,ne aut matrem illegitimè nuptam, aut ſeipſam illegitimè natam fateretur? Sed id inter nos iam intereſt, quod tu plauſus in cauſa fœdiſſima quæras, ego offenſiones in optima fugiam, tu viuenti principi tuæ turpitudinis notam inureres, ego iam pridem mortuæ (ſi mihi per te liceret) libentiſſimè parcerem. Sed id tua inſcitia factum eſt, vt ea iuſtiſſimè in te retorqueri poſſint,quæ tecũ tanquam cauſæ tuæ propugnacula adduxiſti, et ea eſt hiſtoriæ tuæ impietas, vt vnius principis laudi & honori conſulere non poſſis, niſi ſic cum altera agas, vt vnaquæq; ſententiola vanitatis, erroris, ignórantiæ pleniſſima ſit, tute interim læſæ maieſtatis reus, & grauiſſimo omnium ſcelere obſtrictus. Sed quoniam in rebus tanti momenti ſuſpitionibus pugnare non pudet, videamus tandem quàm veriſimiles ſunt ſuſpitiones tuæ. Eſt ne credibile principem ſingulari ingenii acumine, ſumma literarum ſcientia, ſumma ſapientia, cum iam rerum potita eſſet, cum omnium ordinum conſenſu & admirabili lætitia coronata eſſet, cum nec quiſquàm tam demens eſſet vt

contra-

contradiceret illius titulo, nec tam impius vt de illius natalibus dubitaret, nouas inimicitias, nouas Papæ quęſtiones periclitari velle (quod erat metuendum ſi Papa eiiceretur) niſi conſcientia, niſi veritas, niſi ſacræ Scripturæ admonuiſſent, niſi omnes regni ordines propenſiſſimi in illam ſententiam fuiſſent? Si iſte metus illam exagitaſſet, ſi facto (vt ais) Papæ repudio illius fulmina metuiſſet, ſi vel matris nuptiæ, vel ſua naſcendi conditio eandem anxiam ſollicitam tenuiſſet, melius poterat fortaſſe acquieuiſſe in Papæ amicitia & fœdere, quàm in illius odio & contradictione: & ſi quicquam vel ſuæ cauſæ diffiſa eſſet, vel nouas quæſtiones pertimuiſſet, tutiùs in illius connubio (nam iuuat tuo more loqui) conſopita eſſent omnia (qui nunquam claudit gremium cum auro & pœnitentia redeuntibus) q̃ in illius repudio, cum eo expulſo & exterminato, ira & odio incenſus (vt par eſt credere) antiquum virus euomeret, omnes quas poſſet calumnias excogitaret, a nullis conuitiis aut maledictis abſtineret. Hîc videre licet antiquum illud vulgo prouer-

bium , homines literarios non esse semper reliquorũ sapientissimos. Nam quisquis sapit vt tu, idem tecum sentiet. Sed libet ne obsecro mecũ recognoscere, quid septem abhinc annis hiis de rebus recentissimæ memoriæ Pius quartus egerit , vt vel te inscitia lapsum, vel inuerecundia ementitum agnoscas? Cum ita fortefortuna vsuueniret, vt nobilis quidam Anglus in Curia Romana ageret , cœpit cum eo Pontifex iste Pius in multum sermonem incidere, quæ causa esset cur Elizabetha Regina illius authoritatem, atque adeo supremę potestatis nomen e regno eiiceret. Respondit nobilis iste (vt erat homo sapiens & literis instructus) Anglorũ Reginæ tam sacræ Scripturæ testimoniis , q̃ regni legibus persuasum esse, nullam illius esse in terra aliena iurisdictionem. Vix adduci possum vt illud credam (inquit Papa) cum sapiens, & literata sit Regina vestra, sed illam suspicor Apostolicam sedem summo odio insectari, quòd illa Cathedra contra matris illius nuptias pronuntiauit. Si id in causa est, ego illi meam astringo fidem , me illam sententiam

non

non modò tanquam iniustam retractaturum, sed in eius gratiam quęcunq; possum præterea facturum, dum illa ad nostram Ecclesiam se recipiat, & debitum mihi primatus titulum reddat. Si me putes fingere (quod ipse soles facere) extant adhuc apud nos articuli, Abbatis Sanctę Salutis manu conscripti, extant Cardinalis Moronæ literæ, quibus nobilem illum vehementer hortabatur, vt eam rem neruis omnibus apud Reginam nostram sollicitaret. Extant hodie nobilium nostrorum aliquot, quibus Papa multa aureorum millia pollicitus est, vt istius amicitiæ atque fœderis inter Romanam Cathedram & Elizabetham serenissimam authores essent. Si hæc ita sint (vt certè sunt) quomodo tandem derogasset honori suo Elizabetha, si Romanæ Cathedræ primatum agnouisset? Num non Romana potius Cathedra suam dignitatem amisisset, cum quod vnus Pontifex decreuisset alter rescinderet? Quid erat quod Regina aut suæ aut matris honori timeret, cum nec Papa amplius facere poterat quàm antea fecisset, & si quoquomodo potuisset, gra-

 uius

uius tamen in diſſentiendo quàm in conſentiendo periculum erat ? Sed illa nec latam ſententiam alicuius momenti , nec reſciſſam alicuius vtilitatis putauit eſſe. Nihil enim habebat pręter inanem verborum ſonitum, quem nos iamdiu contemnere didicimus . *Sed maluit* (inquis) *Elizabetha ſedi Apoſtolicæ in æternum ſtanti, atque adeo florenti repudij libellum dare, quàm breui perituro honori ſuo quicquam detraxiſſe videri.* Quod ſi ego abs te quęrerem , vnde ſcias illam eſſe ſedem Apoſtolicam : ex fructibus (credo) non reſpondebis te cognoſcere. Sin verò penitùs abnegarem vnquam illic ſediſſe Apoſtolum (quod multi fecerunt homines doctiſſimi) faceſſerem tibi credo negotium . Deinde ſi abs te petã, quàm diu ſit, ex quo in deorum conſilium aſcitus intellexeris in æternum ſtare atque florere illam ſedem , vix iuſtam credo rationem reddideris . Nam cum in hoc mundo omnia ſint incerta , mobilia , caduca, cum (vt inquit Plato) Regnorum & rerumpub. conuerſiones ſint fatales, cum iniquitas cooperuit faciem terræ , cum nihil ſit omni ex parte beatum , nihil perfectũ,

nihil

nihil æternum, quando terra, maria, atque adeo ipſum cœlum tranſibit, eſt ne fas illi ſedi æternitatem aſcribere, in qua ſchiſmatici, prçſtigiatores, hçretici, homicidç, & omni ambitionis genere inquinatiſſimi toties ſederunt? Quod ſi æternam putes propterea futuram, quoniam in ipſo Eccleſiæ principio fuerint aliqui viri boni, quemadmodum etiam in aliis orbis partibus: ſi eorum virtutem & famam immortalem ſperes fore (quod ego non negauerim, cum virtus potius quàm ſedes illa immortalitatis in ſe naturam habeat) ſi (inquam) iſto modo æternitatem tuam intelligas, quid ni etiam Reginç noſtrç virtutes immortales iudices? Quorſum es huic patriç tuç tam iniurioſus? quorſum noſtrç gloriç tam inuidus, vt illius honorem breui periturum dicas? An neſcis illi eas animi dotes ac virtutes diuino numine inditas eſſe, quç in nulla vnquam muliere (quod ſcias aut legeris) hactenus fuerunt, nec (vt credo) vnquam erunt? Ego hîc tuam appello conſcientiam, num putes mentem diuinam (quæ nihil ſine ratione, nihil ſine concilio facit) tam incredibiles

& inauditas vnquam virtutes cuiquam indidisse, vt easdem breui ad nihilum reduceret, & vt vmbras sic etiam diuinissimas animi dotes dispelleret? Erit certè illius corpus paruis inclusum angustiis, fama longè latèq; vagabitur, & posteris credo nostris quàm nobis erit familiarior: nam vt inquit ille.

In freta dum fluuij current, dum montibus vmbræ
Lustrabunt, conuexa polus dum sydera pascet,
Semper honos nomenq; suum laudesq; manebunt.

Idq; vnũ iam nobis dolendum est, quòd cum Respublica nostra immortalis esse debeat, eadem in vnius mortalis animula consistat. Sed viuit deus, & vnius statum successus fœlices, alterius virtutem solida quædam gloria consequetur.

Pergis deinde. *Conuocatis igitur publicis regni Comitijs, cum ad regni ordines de Papatu deserendo & hæresi stabilienda retulisset.* De Papatu sanè eiiciendo pro legum nostrarum sanciendarum consuetudine assensa est, de hæresi stabilienda nunquam retulit. Num mores nostros in legibus condendis, an illius verbi *referre* vim & ἐνέργειαν ignoras? Num principes nostros in Comitiis,

tiis, & (vt planius dicam) in Parliamentis ad omnes Regni ordines ſic referre putas, quemadmodum Conſules ad Senatum, Tribuni ad plebem? Et vt olim Caſſius de ſigno Concordiæ dedicando ad Senatores retulit: ſic noſtram Reginam cum nobilibus & plebeiis de hæreſi ſtabilienda egiſſe? Si hoc ita fuerit, vel leges illæ eſſent iniquiſſimæ quæ ſic fuiſſent latæ, (quid enim princeps perſuadere non poſſet?) vel ſi id in more poſitum non ſit, craſſo & hebeti ingenio princeps eſſet, quæ ſic contra ius faſquè referret: vel ſi neutrum ſit verum, ille omnium homo craſſiſſimus eſt, qui aut patriæ ſuæ in legibus conſtituendis mores non nouit, aut illud quod ſcit, neſcire deſiderat. Nam legum Anglicarum (vt omnes Angli norunt) iſta ratio eſt. Populus primùm (quoniam propter multitudinē regni morbos, ſi qui interiùs & penitùs inhærent, facilius cognoſcunt) ſuas calamitates inter ſe per deſignatos quoſdam aſcriptitios effundunt, & iiſdem iam ſtatim quas poſſunt medicinas excogitant. Quas cum in Iuris formam reduxerint, ne vel in ſua re

occœcati ſint, vel imperfecti aliquid lateat, quicquid ab illis actum eſt, ad nobilitatem adducitur. De quo cum illi in vtramque partem ſententiam dixerint, ne vel illi in plebem agant imperioſè, vel plebs in illos importuna videatur, res tota ad principem refertur: & illud demum pro lege eſt, cui illa aſſentitur. Omnes igitur regni ordines ad principem referunt, illa ad eoſdem nunquam retulit, nec pro animi impetu quas volet leges conſtituit, ſed iam conſtitutas vel diſſentiendo reiicit, vel aſſentiendo confirmat.

Cum igitur (inquis) *de Papatu reijciendo & hæreſi ſtabilienda retuliſſet, quanquam dederat operam vt non ferè alij ad ea comitia conuenirent quàm qui iam ante abhorrerent a catholica fide.* Dederat ne illa operam vt alii non venirent? at quomodo tandem id potuit facere? quem quæſo auerterat? num aliqui vincti erant & relegati? num loco cuiquam interdicti? ſi non erant (quod mecum ſat ſcio fatebere) quæ fuit illius opera, quod nam tandẽ ſtudium in illis abigendis, quos ſi voluiſſet arcere ab illo concurſu non poterat? Nam cum duo tantummodò

mmodò in Comitiis noſtris, hominum ordines ſint, quorũ alter ciuiũ ſuorũ liberam electionem habet, alter electione non indiget, ſed ex ſeipſo reclamante & penitùs contradicente principe (quod nunquã factum eſt) venire poteſt: quomodo potuit princeps Catholicos ne conuenirent prohibere? Si ipſi vmbras rerum & ſimulachra veriti ſunt, ſi cauſas ſibi vaniſſimi metus affingebant, cum leges ab illorum partibus ſtarent, ſi illic trepidabant timore, vbi non erat timor: ignauum pecus erant, & ſibi ipſis Papiſticæ expulſionis conſcii. Sed vt quiſq; eſt vir peſſimus, ita cæteros a ſe minimè alienos ſuſpicatur. Fingis ſiquidem iſta ex Romanis moribus in ſuis Comitiis & conſiliis conuocandis, vbi vel libera ſententia non dicitur, vel qui liberè ſentiret excluditur. Quis vnquam audiuit principem nobilium cuipiam imperaſſe ne ad Comitia veniret, vel Comitatui alicui & Centuriæ præcepiſſe, vt *Seium* aut *Titium* equites deſignarent, vel ciuitati cuicunq; vt *Gracchum* aut *Spurium Melium* aſcriptitios, & (vt nos loquimur) Burgenſes eligerent? Si hæc fi-

 eri

eri poſſent, ſi vnius libidine in legibus promulgandis omnia tenerentur, miſerrima eſſet patriæ tuæ conditio, quæ multis iam ſeculis floruit, & hodie eſt multò florentiſſima. Sin iſta fieri nequeant, cur tam impius es vt principem id feciſſe dicas, quod ſi liceret facere, vix tamen facturam crederem? Sic enim nota eſt illius humanitas, miſericordia, æquitas, vt vix eam capiant verborum anguſtiæ. Et tu tamen illam dicis dediſſe operam, vt alii ad ea Comitia non conuenirent, quàm qui ante abhorrerent a fide Catholica. Quod ſi eſſet factum, mirifica illa fuiſſent Comitia ſi tibi credamus. Nam non ita multò ante magna verborum ſolennitate, omnes Regni ordines ad Papæ ſanctitatem, & fidem Catholicam, interueniente Cardinale Polo reconciliatos dicis. Quòd ſi omnes erant reconciliati, nemo abhorrebat a fide Catholica, & proinde nemo interfuit illis Comitiis: aut ſi ita ſubitò in re tanta ſententiam mutarunt, id ſummo argumento eſt, multa illos vitia, multosq; errores in illa religione, quam tu Catholicam appellas, deprehendiſſe. Homines enim pru-

dentes

dentes Papiſticis procellis ſæpiùs perculſi, religionis vmbraculo antea decepti, cum quomodo eſſent circumuenti intelligerent, cum ſtarent tanquam in orbe aliquo & circulo Reipub. Chriſtianæ, eò iam animis propendebant, quò eos illius ſalus vtilitaſq; vocauit. Regina igitur non dedit operam, vt alii ferè non venirent, quàm qui abhorrerent a fide Catholica (quod nulla ratione efficere potuiſſet, cum id rerum noſtrarum ſtatus non permittat) ſed omnes ferè qui veniebant, cum æquis oculis fidem pſeudocatholicam intuerentur, cum Papalis Regni expreſſam in ea effigiem hîc terrarũ viderent, cùm Mariæ Reginæ tempora cum Regis Edwardi luſtro conferrent, denique cum huius religionis puritatem cum illius ſpurcitia compararent, facilè ſunt adducti, & vt illam adumbratam religionis formam commutarent, & Papam illius caput (ſi illi credimus) vnà cum ſuis erroribus eiicerent.

Et tamen (inquis) *quia Epiſcopos atque optimates excludere non poterat ab illo conuentu, poſtquàm omnes neruos intendiſſet: vix tandem obtinuit, vt hæreticorum partes conſtantiam Catholico-*

tholicorum vel solis tribus suffragijs superarent. Si Episcopos atque optimates ab illo conuentu excludere non poterat, insensata esset, si operam dedisset vt id efficeret, quod fieri nullo modo posse cognouerat. Probabilis fortasse hæc oratio foret, si apud Indos, aut fabulosos Antipodes haberetur, ad quos Reginæ Elizabethæ nomen nunquam percrebuit. Verùm in hac orbis parte, præsertim in Europa, vix credo aliquos esse, ad quos illius sapientiæ & ingenii fama non peruenerit. Apud illos facilè fides non fit, si quicquam præter fidem & communem omnium opinionem dixeris. Est ne credibile Reginam summa literarum scientia, summa prudentia, summo candore & clementia, regni sui legibus publicè in ipsis Comitiis velle resistere? aut conuocatis Comitiis eos excludere, sine quibus de Regni consuetudine Comitia consistere non possunt? Hęc fortasse homuncio aliquis in tuam gratiam credidisset, nisi tui oblitus ipse statim addidisses, Episcopos atque optimates excludi non potuisse. Quos igitur exclusit? num vulgus hominum? Si omnes

sentias,

ſentias, id fieri non potuit, quoniam ſine illo ordine nulla ſunt Comitia: ſi quoſdam excipias, Centuriis, Ciuitatibus, & municipiis vitio vertendum erat, qui libera ſuffragia habuerunt. *Sed poſteaquàm omnes neruos intendiſſet, vix tandem obtinuit, vt hæreticorum partes conſtantiam Catholicorum vel ſolis tribus ſuffragijs ſuperarent.* Mira meherculè narras: erant omnes (vt tute dicis) Papæ & Eccleſiæ Romanæ non ita multò ante reconciliati, neminem horum Regina potuit excludere, & tamen conſtantia Catholicorum tribus ſuffragiis ſuperata eſt. Quid aliud potuiſſes dicere, ſi in ſummam illorum inconſtantiam inuectus eſſes? Epiſcopos omnes fuiſſe Catholicos (credo) non negabis: maiorem quoq; nobilium partem, cum de Papa recipiendo regnante Maria nomina darent: & tamen eorum conſtantiam laudas, cum ſi conſtantes eſſent, in eadem ſententia perſtitiſſent regnante Elizabetha: quodſi conſtanter ab illis factũ eſſet, nũquam ſuffragiis ſuperari potuiſſent. Vide obſecro q̃ iſta benè conueniant. Omnes omnium ordines cum lachrymis & ſuſpiriis (ſi tibi

paulò ante credimus) Pontifici & Ecclesiæ Catholicæ ſunt reconciliati, & tamen dedit Regina operam vt alii non venirent, quàm qui ante abhorrebant a fide Catholica. Quid hoc eſt aliud, quàm multos eſſe falſos fratres inter eos quos tu Catholicos appellas ? deinde Regina Epiſcopos atque optimates excludere non potuit, & tamen tribus ſuffragiis hæreticorũ partes ſuperiores erant: quid hoc eſt aliud, quàm Epiſcopos & optimates hæreticos dicere, cum in illo Senatu nemo alius ſententiam ferat ? Iſtis ſtatim adiungis, *Ac tunc quidem Epiſcopi & cæteri qui aderant prælati, cum eſſent viri grauiſſimi, atque ab omni crimine immunes, ad vnum omnes huic impio decreto reſtiterunt*. Sint ſanè viri grauiſſimi (ſunt enim miſerandi potius quàm inuidendi) ſint etiam omni crimine immunes, nam vrgere iacentes eſſet inhumanum, ſed quomodo tandem huic decreto (quod impium dicis) reſtiterunt ? Precibus ne & pietate ? Id ſi feciſſent, & cauſa iuſta eſſet, nihil illis deus negaſſet in nomine ſuo petentibus. Num Reginam lachrymis, fide, ſcripturis, obedientia, ratione perſuadere conati

conati ſunt ? At ipſi cum Salomones non eſſent, illius Sabæ inauditas virtutes & ſapientiam pertimuerunt : & tantùm a vera obedientia aberant, vt alii ſe intra modeſtiæ limites continere non potuerint, alii exactis Comitiis ſtatim ex iſto Regno, non dicam ad Regni hoſtes defecerint. Num igitur diſputationibus publicis, num argumentorum momentis, num ſacræ ſcripturæ propugnaculis reſiſtebant ? At reclamant omnes qui illis Comitiis interfuerunt, in quibus tanta illis ignauiæ & timiditatis nota omnium opinione inuſta eſt, vt eadem vix toto ſæculo deleri poſſit. Nam cum princeps illuſtriſſima omnes mutationes, præſertim in Religionis cauſis, periculoſas eſſe cognoſceret, niſi omni hominum ordini abundè ſatiſfactũ eſſet, illius decreto publicis diſputationibus dies ſtati, & ſolenniter deſignati erant. In quibus cum infinitus omnium ordinum numerus confluxiſſet, arrectis auribus atque animis omnes conſiſtebant, iam tandem planè perfectèq; vt intelligerent, Papiſtarum ne an Proteſtantium melior cauſa erat, horum ne an illorum rationes maiori

& solidiori pondere niterentur: cumq; iam in rostra & subsellia peruentum esset, subduxerunt sese summo cum pudore & ignominia Papistæ: nec rem dubiam rationis trutinæ, nec adulterinam religionem scripturarum indici committere audebant. Quocirca deferbuerunt iam statim omnium animi, qui tacitè iam antea cum illis senserant, & eorum fidem suspectam, causam iniquam, religionem impuram putabant, quoniam patrono caruit. Deniq; in illis deinceps Comitiis protestantibus omnino sunt assensi, & in illorum sententiam pedibus ibant, quæ si verior non fuisset, minimè dubitabant, quin eadem ab Episcopis disputando, ratiocinandoq; oppugnata esset. Resistebant itaque fortasse (vt ais) omnes ad vnum Episcopi, animo, verbis, voluntate, conuitiis, obmurmurando, detrahendo, allatrando: verùm ingenio, arte, scripturis, ratione, persuadendo, concionando, disputando, nunquam restiterunt.

Venis deinde ad orationem nobilissimi Baronis & Vicecomitis D. Antonii Bruni de Monteacuto, eumquè dicis *liberè*

copioséq;

copiosèq; in illis Comitÿs exposuisse, quanto dedecori ea res toti Regno futura esset, si cum paucis antè annis sedi Apostolicæ reconciliatū fuisset, ob eamq; rem vsq; ad vrbem Romam Legationem publicam misisset, nunc iterum ab eiusdem sedis vnitate sponte sua resiliret, nec dedecus modò, verùm ingens etiam periculum in ea re esse, si fortè sedes Apostolica ob tanti sceleris vindictā, excommunicatis hæreseos authoribus, regnū ipsum gladio & direptioni principum vicinorum exponeret. Facilè certè patior te D. Antonium Brunum, Baronem nobilissimum appellare, addo etiam sapientem & fidelem esse. Nam vtcunq; in initio Regni serenissimæ nostræ Reginæ de Religione senserit, liberèq; in Senatu sententiam dixerit, verám tamen in eo nobilitatem, fidem, sapientiam ostendit, quòd præsentem Reipublicæ statum, Comitiorum illorum statuta, religionis istius formam ne verbo quidem violauit. Vtinam profectò fuissetis omnes illius sententiæ, & animas vestras superiorum potestatibus subiecissetis: vocasset vos fortasse deus paulatim, nec indurasset corda vestra. Vellem certè vt illius exemplo ad aliorum inuidiam, sic eti-

am ad veſtram ſalutem vſi eſſetis. Nam ille poſteaquàm in libero Senatu liberam orationem habuiſſet, nullum virus in tam ſancto Aſylo euomuit, nullam ex illo loco, ne minimam odii ſcintillam exportauit, non profugit ad exteros, non ſenſit tacitè cum Regni hoſtibus, libellis & inuectiuis patriam non lacerauit, rumuſculis & ſuſurris regni pacem infeſtam non reddidit, nullos tumultus in ipſis Reipub. viſceribus concitauit. Denique iſtam ſacrorum & Religionis formam quam nos hodie profitemur, ille indies cum tota familia in ſua domo ſanctiſſimè colit atque cœlebrat, nec quicquam eſt quod ille vehementius oderit, quàm ſtatus noſtri inimicos & perturbatores. Demus aliquid generoſo & magno animo, ſi ſemel ingreſſus, in re tanta ſpiritus aliquos oſtenderit, ſi adeo citò Reginæ Mariæ, quæ illum ſummis honoribus affecerat, obliuiſci non poterat, ſi illa Romana legatio vix dum illi ex animo exciderat. Conſtantiam nobilitate plenam laudo, quæ nec ſubitò aut temerè in contrarias partes rapta eſt, nec primis tamen cogitationibus tantùm attri-

buebat,

buebat, vt non posteriores prudentiores esse cogitaret, nec ita Reginæ mortuæ addictus erat, vt officii & pietatis in viuentem obliuisceretur. Quòd verò illum dicas tantum periculi ostendisse, si forte sedes Apostolica, excommunicatis hæreseos authoribus, regnum direptioni & gladio vicinorum principum exponeret, vix te herclè credo in illius verbis commemorandis bona fide vti. Nam etiamsi non meminerim exactè, quibus iam tum verbis vtebatur, tamen cum satis sciam quis illorum sensus fuerit, fidum te interpretem non agnosco, eòquè magis quoniam a ratione & communi sensu sunt alienissima. Nam ille cum magna virtute fuerit, cumq; (vt tute dicis) Baro nobilissimus sit, est ne credibile illum in publicis Comitiis, tantam ignauiam & timiditatem profiteri voluisse, vt ex vna pontificis voce atque fulmine patriæ iam statim incendium timuisse videretur? Et qui hostem in campo cominùs venientem nunquam pertimuit, eundem terra mariq; disiunctum formidasse? Si hoc ita esset, & sui ipsius, & maiorum suorum dissimilis esset: vt est illud Virgi-

 lianum,

lianum, *Degeneres animos timor arguit*. Sed
nec ille ſibi diſſidet, nec tu tibi conuenis,
dum illum nobiliſſimum dicis, & tamen
vmbras rerum & minas inaniſſimas per-
timeſcere. Deinde cum homo ſapiens
fuerit, cum hiſtoriæ noſtræ non ignarus,
cùm Anglos ſciat eodem tempore, cum
Hiſpanis, Gallis, Scotis, bella geſſiſſe, reges
Galliæ & Scotiæ captiuos abduxiſſe, regem
Hiſpaniarum regno expuliſſe, & alterum
in illius locum ſuffeciſſe: cum (inquam)
Angliam ſciat natura loci, aut potius dei
opificio, hominũ multitudine & robore,
naturali quadam ad bellum propenſione
ita munitam eſſe, vt nemo vnquam hoſtis,
ne ipſe quidem Cæſar (niſi factione aliqua
accitus & adiutus) in eandem penetrare
potuerit: eſt ne veriſimile eundem exte-
ras nationes pertimuiſſe? Poſtremò cum
Papæ audiſſet iure noſtro communi fræ-
nos ſæpenumerò iniectos eſſe, cum eun-
dem Henrico octauo, & Edwardo ſexto
regnãtibus, ſeueriſſimis legibus ex iſto reg-
no eiectum vidiſſet, & ob eam cauſam
interdicentẽ, furentẽ, minitantẽ, execrati-
ones vibrantem, denunciantem excommu-

nicationes, & nihil tamen mali, nihil periculi euenisse: est ne probabile eundem gladios, ruinas, vastitates, nunc demum veritum esse? Hæc si ille dixisset, egisset quidem oratoriè, sin verò non dixerit, tute cum illo agis poeticè. Nam ille homo constanti ingenio, cum sciret iam tum nobis cum Hispaniæ & Burgundiæ familiis illustrissimis, arctum quoddam amicitiæ vinculum esse, easdem etiam cum Pontifice Romano fuisse coniunctissimas: timebat fortasse, ne ex istis cum Papa inimicitiis, antiquissima illorum in nos amicitia refrigesceret. De gladiis exterorum principum (quos ille minimè metuebat) aut de Angliæ nostræ direptione (quæ nunquam aliàs contigerat) verbum (quod memini) nullum ab eo in illo conuentu est emissum.

Sed adeo tibi sunt familiares Pontificis Romani mores, vt Brunum Vicecomitem illud dixisse somnies, quod Papas facere consuetos esse cognoscas. Sed vide quàm bene de Romano illo interim promerearis, dum illum crudelem, sanguinarium, regum hostem, regnorum depopu-

latorem facias. Hæccine est Petri imitatio? Illá ne tam iusta & æterna successio? Quid ni ego Monarchas tuos illius potiùs sequaces putem, qui sumpto gladio, & abiectis in Tiberim clauibus, valeat Petrus (inquit) & Paulus veniat? Sed hæc tua fuerat non Vicecomitis oratio, & tamen cuiuscunq; erat, nec Romæ credo grata, nec Angliæ periculosa, nec improbis iucunda, nec bonis metuenda erit. Sed veniamus ad ea quæ restant in istius Vicecomitis oratione. *Rogare igitur optimates* (inquis) *vt fidei abs se nuper datæ memores retinerent illius Pontificis communionem, cuius authoritate religionem Christianam & primùm accepissent, & perpetuò conseruassent*. Vellem certè in ista illius oratione recitanda poetas illos imitatus esses, qui cum orationem aliquam alicuius nomine effingant, carmen illud addere solent. *Dixerat, aut certè potuit dixisse videri*. Nam nec illum vnquam dixisse, nec te id credere puto, quod cum omnibus ferè istius Regni Chronicis pugnat. Quæ vnquam historia Britannica Religionis nostræ principia ad Pontifices Romanos referebat, cum istic prius Christianitas disseminata

minata esset, quàm vllus Romæ Pontifex Christianus foret? Nam Gildas antiquissimus rerum Britannicarum scriptor testis est, Britannos iam inde ab initio orti Euangelii Christianam recepisse religionem. Et inter recentiores historicos Polidorus Virgilius, cui antiquissima istius Regni monumenta Regio iussu commissa sunt, etsi Papæ amicus esset, & propterea in illius gratiam omnia quæcunq; poterat scripsisset, cogitur tamen confiteri, Nerone Romæ imperante, & Aruirago in Britannia regnante, Iosephū Aramathęum, qui Christi corpus sepeliuerat, siue casu, siue consilio (ita deo volente) in Britanniam cum non paruo comitatu venisse, vbi tam ipse quàm eius socii cum de Euangelio prædicarent, atque dogma Christi sedulò docerent, multi per hæc ad veram pietatem traducti, salutiferaq; fruge imbuti baptizati sunt. Testantur hoc ipsum Glasconiensis Cœnobii diplomata & priuilegia, e quibus, vti etiam reliquis historiis nostris, perspicere licet, eò loci terras quasdam Iosepho, & reliquę illius societati a Rege concessas esse. Sed harū rerum si Vicecomes

Polid. Virg. Anglica histor. lib. 1.

de Monteacuto ignarus fuiſſet, id in eo tollerabile erat, in te minimè ferendum, qui & literas profiteris, & Eccleſiæ hiſtoriam, & quod magis eſt, Monarchiam te ſcribere affirmas. Potuit fortaſſe ille Lucio Britonum Regi Religionis noſtræ primas attribuere, qui eandem ab Eleutherio Pontifice prima facie videtur accepiſſe, ſed tu id ſi credas, valde certè falleris, cum ab eo potius ornata, quàm nata & incæpta Religio fuerit. Vti refert Polidorus eodem in loco, quo Ioſephum illius authorem hîc primum conſtituit. Hæc omnino (inquit) Chriſtianæ pietatis in Britannia primordia extitere, quam deinde Lucius Rex, (ſicut paulò poſt dicemus) propè extinctam Baptiſmi fonte ſublatus mirabiliter accendit. Luce itaque clarius exiſtit, fidem nos Chriſtianam a Romano Pontifice primùm non accepiſſe: videamus igitur quàm verum ſit, quod tu in alterius perſona dicis, eandem nos illius authoritate perpetuò conſeruaſſe.

Polid. Lib. primo.

Cum primùm Euangelii lux apud Britannos Aruirago, & deinde Mario regibus exorta eſſet, imperante Romæ Veſpaſiano, & Iulio Agricola iſtius prouinciæ præſide,

eadem mirificè Romanis legionibus re- ſtincta eſt: quid tum obſecro in illis malis Romanus Pontifex ſubſidii attulit? Eleutherius fortaſſe dices, quem modò meminiſti, rem Chriſtianam tempore Britannico iam inclinantem adauxit. Sed illud circiter centum poſt annos ab eo factum eſt, nec tam ille eandem augere videbatur, quàm Regis authoritati & eius conſilio omnem Religionis poteſtatem a deo commiſſam eſſe confiteri: vt illius literæ pio & humili ſpiritu ſcriptæ, & a me ſuperius recitatæ, teſtantur. Non ita multò poſt a Pictis Scithiæ populis, qui hîc nouas ſedes quęrebant: deinde a Saxonibus qui Britannis in ſubſidium venêre, Britannorum pietas crudeliſſimè concuſſa & prophanata eſt. Quid toto illo tempore Romanus Pontifex? Quorſum ſi paſtor ſummus erat in ouium cæde & ſanguine quieuit? Quem ex illis vnum conſeruauit? Hîc tu fortaſſe reſpondebis: etſi cum Picti bellum contra Chriſti populum gererent, Romanus Pontifex opem ferre non potuit (qui tum nullus aut certè perexiguus fuit) tamen Saxonico tempore Auguſtinus ab eo

ad Ethelbertum Cantianum miſſus eſt. Non inficior herclè, & illũ tamen ſe cum ethnicis canibus dico coniunxiſſe, vt agnos Chriſtianos (qui tum in Wallia erant) deuoraret. Et quanquam multos Anglo-ſaxones ad fidem conuerteret, vt ipſe eorum Archiepiſcopus fieret, duodecim tamen mille Banachorenſes piiſſimæ religionis (vt Beda author eſt) interfici curauit. Ita plus diſpendii ex illo, quàm commodi Reſpublica Chriſtiana habebat. Poſt iſtas temporum tempeſtates, cum iam Angloſaxones poſt multos annos fidem paulatim recepiſſent, & eodem iure (Agnero & Hubone ducibus) a Danis infidelibus illi etiam fracti & contuſi eſſent, quo olim Britannos crudeliter fregerunt: quid tum Papa ad fidem conſeruandam egit? qua in re? quo tempore ſollicitudinem ſuam & curam noſtrarũ rerũ oſtendit? Poſtremò cum inteſtinis inter Danos & Saxones diſſidiis iam vndiq; flagrantibus, Gulielmus Nortomannus quaſi ad lites dirimendas accerſitus eſſet, quid vnquam huc boni a Papa allatum? aut potius quid non mali ab eo eſt illatum? Quoties in regum perni-

perniciem coniurauit? Quoties populum in principes concitauit? Quoties ille in nostris malis sceleris sui faces incenderat? Quoties illius furori legum seueritate fræni sunt iniecti? Quod si ita sit (vt certè est) Papa non conseruauit hîc perpetuò fidem Christi sed perturbauit: & cum omnia illi summa concesserimus, ædificauit templum sed destruxit Ecclesiam. Sed iam ad reliqua pergamus.

Hæc (inquis) *illo apud optimates cum magna ingenij, fidei, constantiæq́ laude perorante, interim Johannes Storeus Iureconsultus, vir ingenio, doctrina, & longo rerum gerendarum vsu excellens, eandem causam apud inferiorum ordinum viros diligenter accuratéq; egit*. Minimè sanè admiror omnibus neruis & summo animi impetu Iohannem Storeum istam quam dicis causam egisse (nemo enim vnquam vel exteris nationibus amicior, vel domesticis ciuibus inuisior aut iniuriosior) sed illud me mouet, quòd tanquam meretricem cum matrona pudicissima, sic eundem cum Vicecomite nobilissimo coniunxeris. Si bona fide virum nobilem tantis laudibus affeceris, cur huic collegam in ea causa

adiungis hoſtem patriæ & reipub. noſtræ proditorem? Iſta pice etſi illum inquinare non poſſis, cognita & perſpecta illius fide, tamen prudentium omnium iudicio, vel hoc a te ſtultè, vel hoc a te inuidioſè factum eſt. Sed quid tandē Storeus dixit, vt ita neceſſum fuerit eundem ſtatim poſt Vicecomitem Montacutenſem nominare? Quidnam egregium & inauditum protulit? *Multa* (inquis) *interpoſuit, tum de neceſsitate vnius ſummi capitis in Eccleſia, tum de longa & maximè diuturna maiorum conſuetudine, qui Romanam ſedem velut Apoſtolorum Principis Cathedram ſemper omni obſeruantia coluiſſent*. Ille ne ſolus hęc dixit? Si ais, magna erat Papiſtarum reliquorum deſidia & timiditas. Si neges, quorſum ille ſolus homo impurus præ cæteris tantopere celebratur? Dicebat (inquis) multa de vnius capitis neceſſitate & conſuetudine maiorū, vir ingenio excellens. Quid obſecro minus dicere potuiſſet, ſi tardo fuiſſet & inſulſo ingenio? Tritum eſt, vetus eſt, obſoletum eſt, plus millies audiui. Et quoniam illius verba tantùm ſine ratione inania profers, tantùm verbo tenus a

me

me refutabitur: ſcilicet, errauit cum patribus ſuis, iniuſtè egit, iniquitatem fecit. Quòd verò omni obſeruantia maiores noſtros illam ſedem ſemper coluiſſe affirmas, ſatis omnes ſciunt quàm ſit falſum qui in noſtro iure communi, vel mediocriter verſati ſunt, cum vnuſquiſq; ferè regum noſtrorum, vel expreſſis legibus illius ſuperbiæ reſtiterit, vel leges antiquitùs ea de re latas nouis ſemper Comitiis confirmarit. Pergis deinde. *Porro cum ob contraria Reginæ ſtudia, nec hij viri, nec alij qui eandem cauſam fouebant quicquam proficerent, id demum reſtabat, vt Epiſcopi omnes recuſarent Eccleſijs ſuis præeſſe in ea republica, quæ a capite Catholicæ communionis defeciſſet.* Contrarium ne Reginæ ſtudium in cauſa eſſe putas, quòd illi nihil proficerent? an potiùs quia malam cauſam fouebant? nam ſi ex deo eſſet, humanum ſtudium aut concilium nihil contrâ proficere potuiſſet. Sed illud eſt ingenii ſophiſtici, non cauſam pro cauſa ſtatuere. Non enim contraria Reginæ voluntas, ſed illorum in re dubia timiditas & diffidentia, in cauſa erat, cur nihil proficerent. Si Regina tanto ſtudio

contradixiſſet, quorſum publicis diſputationibus & dubitato contentionis euentui rem comiſiſſet? Aut ſi nuda voluntate rem tranſigere decreuiſſet, cur apertas controuerſias verita non eſſet, in quibus illæ ſæpenumero rationes excidunt, quæ mobiles plebis animos huc illuc quaſi tempeſtate aliqua rapiunt? Sed iſtuc Regina ſereniſſima nunquam pertimuit, quæ iſtis veritatis indagandæ concertationibus vltrò aſſenſa eſt: quin potius illi deſperatione debilitati ſunt, qui confictis excuſationibus neſcio quibus, turpiter ſeſe ex oculis hominum & procinctu receperunt, & proinde ſuo merito nihil profecerunt. *Et quoniam nihil profecerunt* (inquis) *id demum reſtabat, vt Epiſcopi omnes recuſarent ſuis Eccleſijs præeſſe.* Pulchrè mehercule dictum & ſapienter, ſi mundana quęrimus. Quod ſi iſta ſapientia fuiſſet in Apoſtolo, nūquam ille dixiſſet, clama tempeſtiuè, intempeſtiuè: huius ſententiæ ſi omnes Prophetæ fuiſſent, ſi Eccleſiis ſuis renunciaſſent, quoties placentia loqui non potuerunt, ſi cum ignominia receſſiſſent, quoties ab auditoribus cum irriſione excluſi eſſent, nec in

Iudæa

Iudæa nec in gentibus notus fuisset Deus. Deinde, cum admirabilis illa Christi doctrina in omnes terras ibat, si Apostoli cessissent hominum insaniæ, si, cum primo impetu animas deo non lucrifacerent, omnem animarum curam abiecissent, & indigni fuissent duce Christo, & de eo testimoniũ quod ille desiderabat, minimè perhibuissent. Quid tot sancti Confessores? quid omnes pii Martyres? cùm nemo inter tot mille adesset, qui vel eorum confessioni crederet, vel eorum Martyrium non illuderet, erat ne fas ab eo munere discedere, ad quod illos sanctus spiritus diuino instinctu vocauerat? si id ab illis factum esset, in omnem terram non exiisset sonus eorum. Quid igitur (inquis) num istius ætatis homunciones prophetarum & Apostolorum vestigiis insistere velles? vellem certè si iusta causa est, si spiritus domini in illorum animis & cordibus habitans, certum illis veritatis testimonium dederit: sin nec causa iusta sit, nec flamma diuinitùs immissa eorũ mentes ad cœlestem istam pietatem erigat, nollem illos ab Ecclesiis deficere, sed in rem Ec-

clesiæ sententiam nutare, nec tantùm antiquitati tribuere, vt nihil veritati concedant, nec ita multum prudentiæ mundanæ inhiare, vt cœlesti Euangelio pura solummodò & sincera enuncianti aures recludant. *Sed omnes (ais) vel in exilium spontaneum iuisse, vel in custodiam publicam aut priuatam traditos esse, vbi Pontificis Romani primatum gloriosiùs confitebantur, & prædicabant iam vincti, quàm liberi & soluti potuissent.* Cui obsecro hominum prædicabant cum essent vincti? si eam gloriam illis attribuas quæ olim Pauli vinculis attributa est, quotusquisq; obsecro est qui illorum vinculis conuersus est? si illam gloriam non intelligas, quomodo id gloriosiùs facere poterant, cum nemo adesset qui eos exaudiret? Aut quid tandem prædicabant? Pontificis (inquis) Romani primatum. Pulchrum mehercule negotium, si Pontifex esset Christus. At quem quæso Paulus in vinculis, in exilio, in flagellis prædicabat? Quem Petrus, quem Barnabas? quem cæteri omnes Apostoli? Ihesum Christum (opinor) dices. Quamobrem igitur isti tam gloriosè de Pontifice Romano? Aut quorsum

ſum Apoſtoli (ſi res tam magni momenti ſit) non erant adeo curioſi in illius ſede fundanda & ſtabilienda, quàm iſti ſunt ſuperſtitioſi in illius authoritate defendenda & propaganda? Aut quomodo erant vel in Chriſti voluntate adeo peregrini, vel rerum in Eccleſia Dei futurarum adeo neſcii, vt nemo omnium vel de ſede Romana, vel de Petri Cathedra, vel de Epiſcoporum eò loci ſucceſſione verbũ vllum addiderit? Quod ſi vel Chriſti ſponſa illic perpetuò conſeruanda erat, vel ſuum Apoſtoli domicilium in omnem æternitatem extruere conati eſſent: nec illum puduiſſet ſponſæ nomen omni creaturæ ſignificare, nec illi in ſua domo extruenda, tam ſecuri & oſcitantes eſſent: vt vbi terrarum foret ex eorum ſcriptis nemo colligere poſſet. Sed domini eſt terra & plenitudo eius: nec illius Monarchia vnius Italiæ anguſtiis, ſed totius orbis limitibus circumſcribitur, nec illius Eccleſia in vnius hominis pectore, ſed omnium fidelium cordibus ineſt, nec ille vnum magis Pontificem, quàm vnum in terris regem conſtituit, & inter ſuos quicunq; maiores

 eſſe

esse volunt, minores fieri pręcipit. Hac in re cum diuinam illius voluntatem Apostoli non ignorarent, illi non de regno istius mundi, sed de regno dei loquebantur. Et cum carceribus inclusi essent (vt tute dicis ad Philip. 1.) non parum lucri accessit Euangelio, dum vincula eorum quæ ob Christum perpetiuntur manifesta fiunt in omni prætorio, adeo vt plures etiam ex fratribus in vinculis eorum confidentes abundantiùs auderent sine timore verbum Dei loqui. Euangelium igitur & verbum Dei loquebantur non primatum, non successioné sedis Romanæ. Hoc ipsum Episcopi quoq; vestri factitassent, si veram gloriam tanquam solidam virtutis & pietatis mercedem desiderassent. Sed princeps huius mundi suis præstigiis & illusionibus ita illorum oculos præstrinxerat, vt homines carnales ea tantùm saperent quæ essent carnis, nec sursum oculos attollere poterant ad ea quæ sunt dei, sed defixa tantùm cogitatione in vnius Pontificis luxu atque pompa, tanquam stupidi & insensati inhęrebant. Cuius cum primatum (vt tu dicis) gloriosiùs prædicarent

rent

rent, ſic deinde de illis ſcribis.

Ac ſanè ne id quidem prætermittam: poſtquàm Epiſcopi & cæteri Theologi atque Eccleſiarum Cathedralium Preſbyteri Canonici tum vincula, tum mortem in carceribus, ob aſſerendum ſummi paſtoris primatum ſubiuiſſent. Vincula certè credo aliquos (ſi carceres vincula appelles) minimè ſapienter ſubiiſſe, quòd Romani primatus opinionem tenaciùs retinerent, verùm mortem aliquos perpeſſos eſſe, ob aſſerendum ſummi paſtoris primatum (vt tu craſſo filo & vix Latinè refers) nunquam adhuc intellexi: nec te audiſſe ſuſpicor. Iſtam extremi ſupplicii crudelitatem, niſi grauius in principem & rempublicam peccetur, a noſtris moribus & leni Proteſtantium ſpiritu ſemper abfuiſſe (ſat ſcio) intelligis. Fuerunt fortaſſe aliqui (dum in carcere eſſent) vita functi: iidem etiam naturæ credo ceſſiſſent, ſi non fuiſſent incarcerati. *Stat ſua cuiq; dies, finem properamus ad vnum.* Conſtituit deus terminos quos præterire non poſſumus. Num igitur illi ſi naturæ debitum reddiderunt, iam tum cũ Pontificis Romani authoritatem confiterentur, eos dices mortem per-

peſſos quia confitebantur? Aut ſi illorum fortè aliquis dum in carcere iuſculum appetentiùs hauriret eodem ſuffocatus eſſet, iniurioſiùs tractatum eſſe dices? Quis ferè omnium illam principis lenitatem & clementiam facilè non agnouit, vt cuſtodiam illam humanitate, otio, iuſtitia plenam, ſummæ rerum omniũ licentiæ non anteferret? Bonerus ille, quem vnum ex omnibus maximè crudelem & ſanguinarium negare non poteſtis, cuius flammæ in campo fabrili innocentium corporibus indies ſunt incenſæ, qui cæde & ſanguine ciuium omnia municipia, omnes ferè vicos fœdauit: cum idem regnante Elizabetha in foueas quas fecit incidiſſet, cùm lege talionis pari ſupplicio afficiendus erat, cum omnium ciuium iudicio (quod illi clamoribus & execrationibus diris teſtabantur) hac luce indignus videretur: num illi manus violentas aliquis intulit? Num illi vulnus aliquod inflictum eſt? num indicta cauſa ad ſupplicium raptus? num flagellis? num fuſtibus cæſus? num cruciatibus? num ignibus ſubiectus? num non potiùs dum fata deuſq; ſinebant, le-

pidè,

pidè, lautè, securè, plena mensa, refertis lagenis, distento ventre victitabat, potiùs vt videatur crapula aliqua, quàm corporis aut animi dolore periisse? Mortem igitur ob assertionem Romanæ prærogatiuæ non subierunt, sed ita volente Deo vltimum diem (vt alii qui liberè spiritum ducunt) suo quisq; tempore, obierunt. *Tum* (inquis) *diuinitùs factum est, vt Angli Catholici, qui apud Belgas sub Regis Catholici clientela agebant, auderent liberiùs veritatem fidei suæ non verbis modò sed Scripturis etiam confiteri.* Diuinitùs tu id factum dicis Sandere? immo humanitùs factum est. Nam tantæ rei altè indormientes eò vsq; siluerunt, dum Sarisburiensis doctissimi concione in suggestu Paulino tanquam œstris quibusdam instigati ad scribendum prouocati essent: ille tuba cecinit, illi segniùs & inuitè in aciem descenderunt. Tandem tamen cum se viderent tantis sacrarum scripturarum copiis oppugnari, tanquam pro aris & focis, pro regno iam concusso & penè deperdito resistebant, nec tam diuinæ alicuius causæ rationem habebant, q̃ pudoris humani. Nam si diuinitùs in

cœlesti vinea laborare decreuissent, antea scripsissent quàm ista illis extorta essent, ipsiq; hostes antea prouocassent, quàm ab eisdem fuissent in suis castris oppugnati. Postea verò si conticuissent, cum eorum causa in discrimen veniret, si nullas defensiones adhibuissent, cum ipsius religionis Papisticæ turres atque arces concussæ essent, non modò in hostium contemptũ, & opprobrium, sed suorum etiam inuidiam atque odium venissent. Illud igitur humano potiùs concilio quàm diuino ab iis factum videtur. Sed fuerit (vt dicis) diuinitùs factum (volebat fortasse mens diuina suos in Anglia ministros per huius mundi satellites ad scribendum impelli) quid tandem profecerunt homines isti apud Belgas agentes? quæ spolia? quam victoriam? quos triumphos reportarunt? quotusquisq; illorum est (si responsione saltem digni videbantur) cui non est abundè responsum? Quid vnquam excogitare, quid obiicere potuerunt cui non est luculentissimè satisfactum? Id vos fortasse negabitis, qui in vestra causa iudices esse vultis, aut id potiùs consultò ignorare dissimu-

ſimulatis, quod neſcire vllo modo non poteſtis. Quid ego tibi Iuelli Sariſburienſis hominis piiſſimi ſcripta cõmemorem? Quid grauiſſimi Wintonienſis? Quid Noeli doctiſſimi? Quid Calfildi oratoris egregii? Horum omnium lucubrationes eruditione, pietate, fide, puritate, diuinitate pleniſſimas, & te, & tuos omnes iam pridem vidiſſe ſat ſcio, niſi vos more veſtro cæcutire delectet, cum in rem veſtram nihil cernere poſſitis. Vos in illos quantum poteſtis veneni effundite, illorũ egregiè ſcripta ore maledico lacerate, omnes quas poteſtis calumnias inuenite, in homines vt libet inuehimini, mundo (vt ſoletis) imponite, cauſam certè tam iuſtam, tam piam, tam omni fece & ſorde liberam, ſacris Scripturis munitam, æterna rupe fundatam, in monte Sion (qui in æternum non cõmouebitur) conſiſtentem, nihil trementem, ſuſtentantem omnia, immutabilem, ſempiternam, inexpugnabilem, nunquam ſuperabitis. *At Thomas Hardingus* (inquis) *ſacræ Theologiæ profeſſor Juellum pſeudoepiſcopũ Sariſburienſem iuueniliter exultantem repreſſit.* Iuuenilis eſt iſta oratio cum nihil probet.

Multa tu quidem dicis, ſed tibi nemo credit niſi tui ſimilis. Videamus enim quo argumento vteris, vt eundem repreſſum & ſuperatum oſtendas. *Juellus* (inquis) *palam in ſuggeſtu affirmauit ſe Catholicæ fidei ſubſcripturum, ſi locus aliquis, aut e ſacra ſcriptura, aut ex patribus, qui primis ſexcentis annis vixiſſent, proferretur, in quo Pontifex Romanus diceretur vniuerſalis Eccleſiæ caput: mox Hardingus librum doctiſſimum Anglico idiomate conſcribens, docuit Damaſum Pontificem Romanum, ab Ambroſio vocatum eſſe Rectorem eius Eccleſiæ, quæ domus Dei, & columna ac firmamentum veritatis ab Apoſtolo dicitur.* Rem (quæſo) magnam & rationem firmiſſimam animaduerte: vocatus eſt Damaſus Rector eius Eccleſiæ quæ eſt domus Dei. Quid minus dixiſſet Ambroſius, ſi ad Sacerdotem Sancti Benedicti, aut Sanctæ Salutis ſcripſiſſet, cum & omnis Eccleſia vera, domus dei ſit, & omnis Præſbyter curam habens animarum, eorundem rector, inſtitutor, paſtor, gubernator appelletur? Quod cum ita ſit, quantò id faciliùs Epiſcoporum aut Antiſtitum cuipiam attribui poterat, qui in ſua diocæſi (niſi Rectores domus Dei

ſint)

ſint) hac vita & iſto ſpiritu ſunt indigni. Sed vel de vnico capite, vel de rectore ſummo, vel de Eccleſia vniuerſali quorſum nihil Ambroſius? *Non dubium eſt* (inquis) *quin & Rector idem ſit quod caput, & illa fuerit vniuerſalis Eccleſia, quam Apoſtolus eo in loco deſcribit.* At nos tibi nihil credimus, & non modò de eo dubitamus, quod nudo verbo ſine ratione confirmas, ſed penitus etiam abnegamus. Hæccine ſunt illa præſidia, hæ machinæ quibus Hardingus Iuellum exultantem repreſſit? Parum mehercule Hardingus tuus tibi debet, cum iure optare poterit, vel prorſus te de illo ſiluiſſe, vel meliori aliqua ratione, & cultiori mineruа illius ſcripta defendiſſe. Ego illius iam pridem libros legi, & quantumuis ab eodem in cauſa diſſentiam, illius tamen ingenium, ſtilum, modeſtiam (cum principes ne verbo quidem vnquam violarit) tuæ virulentiæ, conuitiis, ſcribendiq; immoderatæ licentiæ longè antepono. Neq; verò illius libri Iuellum (vti tu dicis) eò redegerunt, vt per edictum regium curaret eiuſmodi libros interdicendos eſſe. Sed ſi illi vnquam interdicti ſunt, id illo-

rum hominum importunitate factum erat, qui eiſdem occultè ad multorum periculum abutebantur. Multi etenim iiſdem perlectis (quid enim tam inconditum & futile eſt, quo vulgus in contrarias ſententias non rapitur?) a ſacrarum ſcripturarum lectione abſtinebant, ab oculis ſeſe & conſpectu ciuium remouerunt, tacitis ſuſurris reipub. pacem perturbarunt, denique cum exteris hominibus, & regni noſtri hoſtibus, religionis neſcio cuius prætextu coniurarunt. Princeps itaque cum iſtuc malum longiùs ſerpere videret, iſtuc mali organum interdicendũ putauit. Iuellus verò, qui eiſdem diuina quadam ſcientia omni ex parte ſatiſfecit, quiq; Eccleſiæ ſuæ perpetuus ſatelles, & defenſor eſſe plusq̃ omnia deſiderabat, de eiſdem interdicendis nihil retulit. Non modò igitur non ſunt vera, ſed ne probabilia quidem, quæ hac in re tam confidenter affirmas. *Hardingi* (inquis) *exemplum ſecuti ſunt alij Theologi quamplures, inprimis Thomas Dormannus, Iohannes Martialis, Hugo Heſkinus, Iohannes Raſtellus, Nicholaus Sanderus, Gulielmus Allenus, Thomas Stapiltonus, & Ro-*

bertus

bertus Pointzeus , qui omnes, vbi occasio tulit, eundem Pontificis Romani primatum confeßi sunt egregiè. Quod argumentum Thomas Stapiltonus omnium copiosißimè tractauit in eo libro, quem omni eloquentia & doctrina refertum contra Hornum pseudoepiscopum Wintoniensem ædidit. Ego sanè tibi istos homines laudanti nihil resistam, nam ab illis vtcunq; de re dissentio, de literario honore valde tibi assentior, nec illis multam lectionem nego, sed meliorem mentem opto. De illorum hîc libris nihil dicam (esset hoc operis infiniti & iniucundi) conferantur cum nostris qui contrâ scripserunt, pugnet causa cum causa, ratio cum ratione, deniq; authoritas cum authoritate. Quæ si æqua lance librentur omnia, non dubito quin nostri, aut potius dei pugiles, qui puris tantùm scripturis digladiantur, eos facilè superent, qui humanis inuentis & mortalium facilè delirantium sententiis & constitutionibus nituntur. Horum ego te ipsum iudicem facerem, nisi iniquum esse perspicerem. Sed quid (obsecro) est quod Hornum pseudoepiscopum appelles, aut tu potius cur non pseudopropheta,

qui ſic vaticinaris ? Vnde ſcis in veſtros Epiſcopos ſpiritum ſanctum magis deſcendiſſe, quàm in illum ? num quia veſtri maiore ceremoniarum cumulo inaugurantur? Siccine credis deum murmure, ſuſurris, oleis, vnguentis delectari, vt illis magis, quàm precibus noſtris puriſſimis, & manuum impoſitionibus moueatur? Id ſi tibi perſuadetur, ego quoq; (ſi acerbus & virulentus eſſe vellem) cur ob eam cauſam veſtros potiùs Iudaicos quàm Chriſtianos eſſe non dicam? Sed nec aſſertiones tuas inanes, nec mea verba aliquid probare exiſtimo. Rationum momenta expecto, quæ ſi a te aliquando proferantur, ego illis potius quàm conuitio aut maledicto tuo reſpondebo.

Hæc non eſſe omittenda hoc in loco putaſti, vt aliæ nationes ſcirent non Angliam vniuerſam ita receßiſſe a Romani Pontificis obedientia, quin optimi quiq; & doctißimi viri adhuc perſiſtant, & in æternũ permanſuri ſunt, in ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Communione atque obſeruantia. Hîc more tuo diuinare non deſinis. Vnde eos ſcis eſſe optimos & doctiſſimos qui perſiſtunt? Quæ illorum monumenta,

 quas

quas res gestas, quæ scripta profers, quæ ab aduersariis omni ex parte non adæquantur? Aut si hodie persistant in fide Romana, vnde nosti eos perpetuò in eadem permansuros? Quàm multi sunt apud nos primarii viri, quos illius iampridem pœnituit, quiq; nugarũ & imposturæ pertæsi indies ab eisdem deficiunt? Quàm multi ex illis quos tu Catholicos appellas, ex quo indigestum hoc volumen scripseris, sententiam mutarunt? Sed finge neminem illorũ defecisse, sed vnâ tecũ dilectos Põtificis Romani esse filios: quid tũ obsecro fiet?

Egregiam certè laudẽ & spolia ampla refertis,
Tuquè paterquè tuus.

Numerus ne in religionis iudicio tanti ponderis est? Num non maior pars sæpenumerò meliorem vincit? num non Mahumetani Christianos numero superant? Quid igitur multitudinem scribentium in digitos distribuis? Non quotusquisq; scribit, sed quàm verè & quàm piè scripserit ostende. Sed (tibi grates O summe deus) nec nos scriptorum multitudine, nec nos scribẽdi puritate superatis. Hoc itaque honestẽ tacere, quàm inuerecundè eloqui

ſatius fuiſſet, vel iis teſtibus quos in Romana communione & obſeruantia dicis perſiſtere. *Eam* (inquis) *ſedem in exilio noſtro benignam ſanè matrem experti ſumus*. Immo illa nos benignos filios, antequam ex hoc regno exularet, experta eſt, cum quod nos capere oportuit illa intercœpit. Nam dum illa nihil ad nos præter chartas, membranas, ceras, plumbos, lacinias, cruces, charecteres, relliquias immitteret: nos illi, aurum, argentum, margaritas, purpuram, gemmas remiſimus. Ita illam ſedem prudentiorem nobis aliquando fuiſſe fateri licet, nos illa benigniores fuiſſe negari non poteſt.

Atque hîc ſtatim Catalogum eorum ſubiungis, *qui pro Apoſtolicæ Cathedræ principatu confitendo, vel in vinculis domi, vel in exilio foris, partim vſque ad mortem perſtiterunt, partim vſque ad hodiernū diem detinentur.* Quorum primum omnium atque principem Bonerum conſtituiſti: cuius ſi cæteri omnes ſimiles eſſent, non dubito, quin te breui cum tuis confeſſoribus turpiter dares. De illius hîc vita & moribus multa ſcriberem (facilè vt omnes intelligerent

ex duce quos milites expectarent) nisi mortuis vim inferre inuitissimè consueuerim. Sed dicito (obsecro) quem in finem tanta a te multitudo tam curiosè nominatim recensetur? Si illorum in ea fide (quam tu Catholicam appellas) persistentia Monarchiam tuam construat: eorum etiam constantia, qui Mariæ Reginæ quinquennio religionem nostram vsq; ad sanguinem & flammas profitebantur, eandem destruit. Aut si libri tui lectoribus corũ multitudine persuadere, atque ad tuas partes allicere speres, ego contrâ eosdem Foxei nostri, hominis pii, & Ecclesiæ nostræ Historici fidelissimi libris remitto, in quibus Martyrum & Confessorum multitudine longè superaris. Sin verò ista a te recitata sunt, vt in vinculis, in carcere, in mortis supplicio seueritatem nostram ostendas, vide q̃ imprudenter & incautè manus tibi ipsi intuleris. Nam si oculos ad Reginæ Mariæ tempora vel tantulum deieceris, nihil ferè videbis aliud, q̃ ciuium proscriptionem, bonorum spolia, innocentium condemnationem, omnes carceres miseris refertos, multos igneſ Martyrum corporibus flam-

mantes; turres pleraſq; nobilium membris & capitibus cruentatas. Hæc ſi vera ſint (vt certè ſunt) non iſta te confodit, non iſta cruentat oratio? Aut ſaltem non pudet ea ſine concilio, ſine ſenſu protuliſſe, quæ te ipſum potiùs q̃ alium quemuis vulnerant? Quid quòd multi hîc quaſi exules & relegati a te recitantur, qui hodie apud nos viuunt & valent, & non modò proborum ciuium ſed Proteſtantium etiam piorum munere funguntur? Quorſum illi a te recitati ſunt? num vt eos in Pontificium patrocinium, an Reipublicæ noſtræ odiũ adduceres? ſiccine ſoles beare amicos Sandere? ſiccine iſta te tua ſcribendi gloriola occœcat, vt quos oratione læſeris non ſentias? num alios laudare non potes, niſi alios malè vras? Ego (mehercle) in amicorum tuorum numerum me non eſſe aſcriptum valde gaudeo, cum vita humana ſatis ex ſeipſa miſera, odii & inimicorum plena, multò miſerrima ſit, ſi ab amicis tuta atque tecta non fuerit. Sed de numero (qui alioqui valde exilis eſſet) ita laboraſti, vt quos interſerueris minimè curares, & ne chartas ſatis implere minimè

videaris, nec Præſbyteris Parochialibus, nec Clericis, nec Ludimagiſtris ſuperſedisti. Et inter eos etiam quoſdam recenſuiſti, qui nunquam eiecti, nunquam exules erant. Eorum hîc nomina adderem, niſi odioſum eſſe cognoſcerem, & illis valdè ingratum, qui indies tibi & tuæ Monarchiæ malè precantur, cuius opera eorum nomina, iis inuitis, iniuſtiſſima laude celebrantur. Eos ego latere patiar, cum tuis ſcriptis commendari parum honorificum putent: & id illis vnum maximo ſolatio eſt, quod nemo ferè apud nos tam amens ſit, qui libros tuos vno teruncio emat.

Illud ſanè hoc loco ridiculū eſt, quod in iis cōmemorandis qui e Collegiis eiecti ſunt, Nicholaus Sanderus ita in prima illorum fronte a te conſtituitur, quemadmodum Bonerus in Epiſcoporum Catalogo. Ego ſanè te ex illo alterum non iudico, ſed deus omen auertat. Si tacitas alicuius cogitationes extimuiſſes, ſi arrogantiæ ſuſpicionem prçuidere potuiſſes, immo niſi inaniſſimis gloriæ vmbraculis deliraſſes, etiamſi reliquis omnibus & literis, & virtute, & tempore ſuperior eſſes, tamen cum

ipſe hiſtoriam ſcriberes, te ipſum primo loco tanquam reliquorum omnium principem non nominaſſes. Sed hoc te vel ſtupidum & inſenſatum eſſe, vel tui ipſius amore flagrare teſtatur. *Nicholaus* (inquis) *Sanderus, qui tanquam regius profeſſor ius Canonicum ſuo iure in Oxonio publicè legit*. Quid ſibi volunt hæc verba *Tanquam regius profeſſor ſuo iure legere?* Nam tanquam Regius profeſſor eſſe, quid aliud ſignificat quàm ſubſtitutum, delegatum, alterius mercinarium eſſe? qui ſi fuerit, non ſuo ſed alieno iure legit. Sed ſic eſt dei iudicium, vt qui in ſe laudando effrons eſſe voluerit, in verbis aptè diſponendis elinguis, aut ſaltem iners & inartificioſus ſit. *Sic proprio laus ſordet in ore*. Sed agedum audiamus quod reſtat de Nicholao Sandero. *Is ei loco & muneri ob fidem conſeruandam renuntians, & poſtea ſacræ Theologiæ profeſſor factus hunc librum ad communem vtilitatem perſcripſit.* Immo verò ad communem calamitatem perſcripſiſti Sandere. Nihil enim hic omiſſum, quod vel plebem in magiſtratus noſtros concitare, vel nobilium animos a principe abalienare, vel eorum mentes ad

Roma-

Romanam improbitatem allicere, vel a
Chriſti puritate & Euangelio abducere poſ-
ſit. Quis vnquam per iſtos quatuorde-
cim annos in Republica noſtra ſeditioſus
ciuis fuit, qui ſummis a te laudibus non
efferatur? Quis vnquam principis vitæ in-
ſidiatus eſt? Quis regni pacem perturba-
uit? Quis ſe regni hoſtibus immiſcuit?
Quis aperto marte contra Reginam in acie
ſtetit? Quis in ſuos coniurauit, quem tua
hiſtoria tanquam hominem diuinitùs in
terras elapſum, diuino quodam honore
non proſequatur? Communem tu vtilita-
tem illam dicis, cum bonos maledictis in-
ſecteris, cum impiis animos addas, cum
coniurationes approbes, cum ſummã om-
nium tranquillitatem vituperes, cum vna-
quęq; ferè ſententiola in Reipub. noſtræ
malis tanquam vnguis in vulnere exiſtat?
Hîc cum oſtenderis qui vir ſies, cum hiſto-
riam tuam perditis hominibus impleue-
ris, cum viros quoſdam bonos laudibus
tuis infœlices reddideris, ne vllus ſexus
eſſet a tua dementia immunis atque tutus,
ad mulieres deinde pergis, & cum illis ſic
agis. *Cæterum quia etiam fœminæ repertæ ſunt*

quæ fidem intrepidè vſque ad vincula & mortē confiterentur, nec illas oportet prætermittere. Earum deinde ſtatim nomina recitas: quod quo concilio, qua ratione feceris mirari ſatis non poſſum. Nihil ne te illius ſexus miſeret? Nihil ne te mouet ſi hoc tuum encomium aliquod illis periculum afferat? eſt ne fœminis quàm viris infeſtior oratio tua? Tanta ſiquidem virorum apud nos viuentium miſericordia commotus videbare, vt paulò ante diceres. *Qui autem in Anglia degentes ab omni cum hæreticis communione, tam in Sacramentis, quàm in precibus abſtinent, præterquam quod infiniti ſunt, etiam tutum illis non eſt vt hoc in loco detegentur, ne per eam occaſionem citiùs eos ad pœnam rapi contingat.* Quid eſt obſecro quod idem de mulieribus non pertimueris? An illæ tibi exoſæ ſunt? an illis potiùs apud nos omnia licere putas? an more tuo neſcis quos vulneret oratio tua? aut itane parum tibi conſtare ſoles, vt iſtam inconſtantiam non videas? an illa lethargia laboras, vt nihil eorum memineris quæ in ſuperiore ſententia ſunt poſita? Sed facilè tibi ignoſci pateremur, quicquid in cauſa eſt, niſi in princi-

principum caufis tam confidenter quiduis affirmare auderes. Venis ſiquidem *ad Mariam ſereniſſimam Scotorum Reginam*, eiq; (dicis) *dum in Anglia degit, iſtam conditionem delatam eſſe, vt ſi hęreſim quę iam in Anglia regnat, ſeſe confirmaturam ſponderet, proxima Regni hęres in Comitijs declararetur.* O tempora, O mores, O audaciam ſingularem, abſens, priuatus, Reipub. hoſtis, ea ſe ſcire iactitat, quæ nos, qui indies in Aula principis, in Reipub. luce, in omni ciuium concurſu ſumus, nunquam audiuimus. Ego equidem qui iſtius temporis monumenta diligenter congeſſi, vt illius hiſtoria tandem aliquando exactè & ſyncerè ſcribatur, qui omnia acta diligenter obſeruaui, qui ſummis Reipub. negotiis conſultò interfui, qui de iſtis rebus ſæpenumerò cum eis commentatus ſum, quibus Scotorum Reginæ negotia commiſſa ſunt, nunquam adhuc talè aliquid ediſcere potui, nunquam iſtas conditiones impoſitas audiui. Et tamen Sanderus terra mariq; decennio plus minus diſiunctus, hęc omnia nouit. Immo non noſti Sandere, ſed confidentius quàm par eſt quidiuis af-

firmare, & rumoribus leuiſſimis credere in animum induxiſti. Et quamuis homini in res noſtras acutiùs intuenti nihil ſit minùs probabile, tu tamen ſcribere, & per omnium ora diuulgare non dubitas. Hìc cum non modò hominum priuatorum, ſed principum res geſtas mendaciunculis aſperſeris (quod in re faceta eſt oratoris diſerti, in re ſeuera hominis iniqui) ad integras quaſdam familias te confers, quas amore Pontificio delinitas in exilium omnes abiiſſe dicis. Næ illi imprudentes eſſent ſi vera diceres, ſi natale ſolum tam dulce, tam charum deſererent, vt Pontificias vmbras & futuræ vitæ promiſſa (quæ ipſe ſibi præſtare non poteſt) ſtultiùs inſequerentur. De quibuſdam tibi familiis, ſed tamen perpaucis facilè aſſentior, de omnibus non item. Et quanquam eos ad illorum præiudicium non nominarem, tamen ne me putes fingere, ſunt nonnulli ex hiis, quos tu antiqua ſtirpe & clara cognitione eſſe verè prædicas (noſti ex eo verbo quos intelligam) qui indies in Anglia, in vrbe Londino, in foro, in templo Paulino conſpiciuntur: nec liberè tantũmodo

nobiſcum viuunt (vt ſunt ingenui & liberales) ſed in fide etiã erga principem, quam tu infringere deſideras, honeſtiſſimè permanent. Iſtos homines poſteaq̃ præ amore infames quantum in te eſt reddideris, & (vt inquit Seneca) cum eos amando occideris, ad Writum neſcio quem Oxonienſem Archidiaconũ te confers, de cuius exitu miſero, cum inania quædam verba profuderis, vereor ne cauſæ tuæ (vt ſoles) magis abeſſe, quàm profuiſſe videaris: ſic enim ais.

Writus iſte fidem Catholicã frigidè amplexus, cum nollet poſt ſtatum Catholicæ religionis in Anglia mutatum, dignitate ſua carere, dum quodam die apud preſbyteros ſuæ olim iuriſdictioni ſubiectos concionem haberet, incidit in ea D. Pauli verba, quibus ait, Chriſtum in Eccleſiæ ędificationẽ dediſſe quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios paſtores & Doctores, quibus recitatis, vt tempori ſeruiret, de Papa inquit hic verbum nullum auditis. Quod cum in extrema concione proloquutus eſſet, mox graui morbo correptus, & quaſi mutus effectus octauo poſt die e vita exceſsit. Quid ex iſtis tandem colligis Sandere, quid vel

probabiliter concludis ? *Tales* (inquis) *ſunt exitus eorum, qui vt ſæculo adulentur, Dei Eccleſiam deſerunt.* Immo tales ſunt exitus eorum, qui nullum in ſacris ſcripturis verbum de Papa audientes, in eo tamen potiùs q̃ in Chriſtò credunt: & videntes ex quibus partibus Chriſti Eccleſia ab ipſo Chriſto conſtituta ſit, tamen Papam non modò partem ſed caput eſſe volunt, cum nulla Scripturæ pars (niſi forte Apocalipſis) vel vllam Papæ vmbram aut figuram nominarit. Quis eſt, qui cum iſta a te ipſo poſita æquis oculis aſpexerit, ſententiá iſtam, tuis contortis concluſionibus longè probabiliorem non exiſtimet ? Eſt ne veriſimile eum mutum factum eſſe, & morbo correptum, quia Papam in ſacris ſcripturis minimè nominatum dixerit (cum re ipſa non nominetur) an potius iuſto dei iudicio confixum eſſe, quòd cum nihil tale (teſte conſcientia) reperiſſet, ipſe tamen quaſi in contemptum diuini teſtamenti credere voluiſſet ? Tales mihi crede Sandere ſunt omnes aſſertiones & concluſiones tuæ, vt ſi mihi per negotia liceret per omnes libri tui partes diſcurrere, ego nulliùs ſubſidio in te

 conſu-

confutando vterer nisi tuo. Sunt enim omnia vel ea vanitate vt illa ex seipsis corruant, vel ea ineptitudine connexa, vt nullo labore, nullo artificio dissoluantur.

Quod si ego te eisdem passibus insequerer, multa mihi dicenda essent de sententiis Forerii, Horantii, Cuneri, Manutii, Vitellotii, Pamelii, Vargæ, & aliorum nonnullorum hiis similium, sed cum ego illos eâdem fide qua te dignos putem, cumq; illorum de Pontificia potestate censuram nihil ad istam rem pertinere videam, quam tu te tractare profiteris, quid est quod ego vnà tecum a proposita meta aberrare velim? In istius tractatus initio dicis te scripturum, quot & quanti tum Episcopi, tum alii, patriam, libertatem, vitam amiserint, regnante apud Anglos Elizabetha, vt ne cogerentur Romani pontificis primatum abiurare. Et cum in medio quasi curriculo illius orationis sis, subitò in alias Regiones conuolas, & Martyrum tuorum Anglicorum oblitus, ad Parasitos nescio quos Papales confugis, & multò plura de eorum in Papam suffragiis & assentationibus scribis, quàm de

eo quod ſcribendum tibi propoſueras. Nec in eo tamen perſiſtis, quin non ita multò poſt ad eos redeas, qui ob primatum arma in Anglia ſumpſerunt. Quis hîc ordo eſt Sandere? Aut quæ potius inordinata confuſio? Noli expectare vt ea omnia confutentur, quæ a te ſine ratione & methodo ſcribuntur. Multa enim ita abſurda ex ſe ipſis ſunt, vt alterius oratione non indigeant, pleraq; ita horrida & indigeſta, vt maioris negotii ſit, eadem in formam atque ordinem redigere, quàm immenſum aliquod volumen conſcribere. Illis itaque omiſſis (aut ſi opus ſit in aliud tempus intermiſſis) quæ non ſunt huius inſtituti, veniamus ad Anglos qui ob fidem Catholicam & Romanæ Eccleſiæ Primatum arma ſumpſerunt, & adhuc in exilio agunt. *Cum Apoſtolica ſedes Elizabetham ab Eccleſia defeciſſe, totumq; Angliæ regnum ea re ſchiſmaticum factum eſſe videret, ſemel atque iterum legatos in Angliam miſit, qui gentem illam ad officium reuocarent, verùm iis legatis ne aditus quidem in Inſulam patuit.* Hîc tu & Pontificiam ſuperbiam oſtendis, dum nos ad officium reuocare vult

qui-

quibuſcum nihil illi commercii fuit, & noſtram etiam prudentiam, qui illius legatis non aures ſolùm, ſed omnes etiam aditus interclusimus, cum nullus vnquam poſt noningentos annos huc ab ea ſede immiſſus fuerit, quin vel multarum calamitatum cauſa, vel coniurationis alicuius occultæ author extiterit. Nec dubito quin iſti quoq; legati ſi admiſſi eſſent, illam etiam Reipub. noſtræ perturbandæ conſuetudinem tanquam hæreditariam retinuiſſent. Iſtuc ego ampliùs antiquiſſimis Regni noſtri exemplis non oſtendam, cum id a me iam antea ſit factum, ſed a teipſo teſtimonia atque argumenta petam. Nam ſi quiſquam omnium fuerit, cui Papæ ſcelera atque immanitas ſatis cognita non ſint, eundem hanc ipſam Monarchiæ tuæ partem diligentiſſimè legere optarem. Ego ſanè, ſi quod in me ingenii acumen eſſet, aut ſi magna dicendi vis (quæ vtraque ſatis ſentio quàm ſint exigua) non poſſem certè Romani Pontificis rabiem & tyrannidem importunam meliùs ad oculum depingere, quàm eadem hîc a te expreſſa & delineata eſt. Sic enim de illo

ſcribis. *Quod cum ita eſſet, Pius quintus Pontifex maximus Anno Dom. 1569. reuerendum Preſbyterum Nicolaum Mortonum Anglum S. Theologiæ Doctorem, vnum ex Preſbyteris qui pœnitentijs indicendis Romæ præerant, in Angliam miſit, vt certis illuſtribus & Catholicis viris authoritate Apoſtolica denunciaret, Elizabetham, quæ tunc rerum potiebatur hæreticam eſſe, ob eamq; cauſam omni dominio & poteſtate quam in Catholicos vſurpabat, iure ipſo excidiſſe, impuneq; ab illis velut æthnicam & publicanam haberi poſſe, nec eos illius legibus aut mandatis deinceps obedire cogi.* Quod ſi Cerberus ipſe ab inferis in terras emiſſus eſſet, aut quemadmodum in tragædiis fieri videmus, ſi furiarũ aliqua tedis ardentibus in theatrum erupiſſet, vt nuntio a Plutone recitato, omnia furore & flamma commiſceret, poterat ne feralius aliquid & horribilius euomere? Quid enim vel naturæ legibus tam contrarium, vel hominum animis tam triſte & luctuoſum, vel numini diuino tam impium & execrabile videtur, q̃ populi voluntates a principibus abalienare, eoſdem ab officio & pietate abducere, in Chriſti vnctos concitare, bel-

lis

lis inteſtinis & crudeliſſimis diſſentionibus commiſcere? Nos ſi verum eſſet ab Eccleſia deſciuiſſe, ſi exiſſemus cum Petro, ſi eſſemus ſchiſmatici, ille nos ſcriptis, precario, ſuaſione hortaretur, vt amarè defleremus, vt ad ſanitatem quamprimùm reuerteremur, vt reſipiſceremus: ferrum, flammam, hoſtilia, nunquam minitaretur. Malum herclè paſtorem dicimus, qui agnis ægrotantibus lupos immittit, aut ſi quis morbus appareat, eundem malit ferro ad interitum præcidere, q̃ medicina ad ſanitatem reducere. Sed nec ille nobis paſtor vnquam erat, nec nos lupinæ illius voracitati ceruices vnquam ſubiiciemus! Vteris hîc, D. Bernardi exemplo, eumq́; dicis Chriſtianos ad iter Iheroſolomitanum hortatum eſſe. Velim libenter doceas, quo ille loco ſubditos vt contra Regem arma ſuſciperent hortatus ſit! Num id Petrus, cuius ſucceſſores eſſe vultis, aliquando fecit, cum principes populi ad ſuam Eccleſiam traducere non potuit? Num Paulus, cum Neronis tyrannide opprimeretur, plebem ad defectionem ſolicitauit? aut cum in Iudæa eſſet,

& Romanos Imperatores fidei suæ hostes esse cognosceret, num aliquem Nicolaum in Italiam misit, qui populo prædicaret eos nullis legibus aut mandatis Cæsarum teneri? Immo obedite(inquit)Regi tanquam præcellenti. Num ipse Christus, (cuius omnis actio nostra est instructio, quiq; in Ecclesia sua æqualem cum Papa, aut certè non inferiorem authoritatem habebat) num (inquam) ille cum prædicando, instruendo, præmonendo, nihil in Iudæa proficere potuerat, subditis edixit ne principibus obedientiam atque officium præstarent? Immo reddite(inquit)Cæsari ea quæ sunt Cæsaris. At Papa cum omnia contra Pauli,Petri,& Christi exempla & mandata faciat, quid ni illum nos Saulum,Pseudopetrum, & Antichristũ suspicemur? Id vnum ille ex isto Nicolao nuntio in Anglia consecutus videtur, vt hii qui antea illius sedi propter antiquitatem aliquid tribuerent, nunc propter illas turbas quas in Anglia fecit, omnibus illum diris deuoueant. Sed redeamus ad illam Anglorum Borealium coniurationẽ, quæ quoniam a Papa inita est, Ierosolomitanæ

mitanæ expeditioni ſimilem eſſe vis. Videamus tandem quibus id argumentis confirmes. *Nã ſi deus* (inquis) *illam Iheroſolomitanam expeditionem quæ infœliciter ſucceſsit, tamen per miraculum a ſe profectam eſſe declarauit, quis nunc niſi conſiliorum diuinorum ignarus dicere audeat illam fidei confeſsionem, quam nobiles quidam Angli armati ædiderunt, à deo profectam non eſſe? Certè quidem illud miraculo imputetur neceſſe eſt, quod cum viri ferè quingenti capti & morte affecti eſsent, nemo illorum repertus ſit, qui aut fidem Catholicam deſeruerit, aut belli eius authores alicuius culpæ accuſarit.* Iſta mihi duo Sandere in hac oratione tua præcipuè notanda videntur: primùm tui ipſius præſumptio, qui diuinorum conſiliorum conſcius eſſe vis, quorum nemo vnquam mortalium particeps erat: deindè coniuratorum deſperatio; quorum corda erant ſic indurata, vt cum iam lux iſta relinquenda erat, cum extremus ſpiritus exhalandus, cum vltima pœna, atque adeò vltimum iudicium ſubeundum: neminè tamen vel tantulum pœnituit, vt belli authores culpæ alicuius accuſaret. Miſeros mehercule illos, ſi ſic res erat, miſeriorem

verò te si non fuit. Quod si ista sententia ex hac vita migrarint, vt ne culpam quidem minimam existimarent, arma contra principem suscipere, nec illos peccasse putarent, qui teterrimi illius belli authores extiterant, nonne de illorum salute desperandum putares? Tu fortasse non fatebere, ne Papam etiam tantarum calamitatum authorem incusare videaris: sed si alterũ aliquem appellem, non dubito quin mecum sentiat. Nam principes qualescunq; sunt, eorum maiestas nullo modo violanda est. Si boni sint, gratia deo agenda, qui populum tam diuino beneficio beauerit: sin mali sint, ceruices nostri illorum tyrannidi subiiciendi sunt, aut in aliam ciuitatem fugiendum: nunquam vi, armis, tumultu, strage, resistendum. Id enim credere oportet eos a mente diuina ob scelerum nostrorum vindictam, tanquam dei flagella in terras immissos esse. Sed quem ego te hominẽ putem, aut quomodo tibi in posterum credam, si ista, quę tam confidenter scribis, sint longè falsissima? Aut tum q̃ malè de illis miseris videris promereri, si in communi illorum calamitate

lamitate miseriores illos facias, dum tanquam impœnitentes describis, cum re ipsa non essent? Nemo ne inter quingentos perduelles authores belli accusabat? Immo quotusquisq; erat qui summo squalore atque lachrymis nō insimularet? quis ferè omnium erat, qui se non diceret ab impiis belli authoribus circumuentū, cum primùm Comites illi Reginæ nomine & edicto in iis concitandis vtebantur? Quod si non fecissent, illi nūquam assensi essent, cum verò ingressi fuerant, non putabant tutum ab armis recedere, seueritatis illius non dum obliti, qua vsus est in illorum patres celeberrimæ memoriæ Henricus 8. in vltimo illo boreali tumultu, cum principes coniuratorum, postquam ab armis discessum esset, (præ suis quisq; foribus) suspensi essent. Sed id te more tuo non pudet audacissimè affirmare, quod plusq̃ mille honestissimorum virorum iam tum præsentium testimoniis cum temeritatis tuæ irrisione confutatur. In eo posteaq̃ verecundiæ fines præterieris, vt te gnauiter impudentem præstes, ordine quodam exquisito illius coniurationis capita & pri-

marios quosq; viros enumeras, illos præsertim qui pertinaciùs in suscepto scelere persistentes, nulla flagitiorum pœnitentia commoti mortem oppetierunt, & quasi de Repub. optimè meriti essent, suis quemq; laudibus curiosè exornas. Fœlices mehercule fuissent in Romana Repub. Spurius Melius, Saturninus, Drusus, Catilina: in nostra verò, Strauus, Glendorius, Kettus, si tu in illorũ tempora incidisses, nullum enim facinus tam immane & horrendum admittere potuissent, quod in illis historia tua magnopere non laudasset. Quid ni breui expectemus, vt Chore, Dathan, & Abiron scriptis tuis celebrentur? Sed veniamus ad insigne illud Martyrium Iohannis Feltoni, in cuius exordio vsq; ad Anathematis denunciationem, si in sententiis tuis recitandis eisdemq; refellendis insisterem, eadem mihi toties repetenda essent, vt non minori fastidio mea, quàm tua legerentur. Nihil enim habent aliud q̃ conuitium in principem serenissimam flagitiosè iactatum, & Pontificiæ immanitatis & arrogantiæ narrationem, id quod ipsa Anathematis sententia apertissimè testatur.

tatur. *Nam postquàm* (inquis) *Papa de Apostolicæ potestatis plenitudine declarauit prædictam Elizabethã hæreticam, & hæreticorum fautricem, eiq; adhærentes in prædictis Anathematis sententiam incurrisse, quin etiam prætenso regni prædicti iure, necnon omni & quocunque dominio, dignitate, priuilegioq; priuatam.* Hæccine est Sandere Apostolicæ potestatis plenitudo? Quis vnq̃ Apostolorum Christos domini ista verborum virulentia confixit? Aut cui vnquam illorum ista potestas data est, vt reges pro sua libidine, Regno, dominio, dignitate, spoliaret? Fingamus id tibi concessum esse quod tu tantopere desideras, supra Petrum ædificatam esse Christi Ecclesiam: demus etiam id illius successoribus (inter quos multi homines impuri fuerunt) concessum esse. Num in eo quod illis Ecclesiæ potestas tribuitur, regnorum etiam ex animi impetu disponendorum licentia concedetur? Cum in Ecclesia primitiua, in omni ferè tribu & natione pars aliqua Christianam veritatem amplecteretur, principes tamen ab eadem abhorrerent, num Apostoli aut illorũ successores eosdem intestinis tumultibus per-

turbarunt? Aut sua authoritate regni iure priuatos pronuntiarunt? Quod si non fecerunt, vides istuc a Papa contra ius diuinum & humanũ factum esse, non modò nunc cum principem piam, religiosam, Christianissimã habeamus, verùm etiam si hæreticam, aut schismaticam haberemus. Vides etiam nec id Petro licuisse, nec Pontifici è vestigiis illius tam longè egresso aliquando licere. Sed ad Anathematis fulmen redeamus, in quo ista subsequuntur, *Itemq; proceres, subditos & populos dicti regni, ac cæteros omnes qui illi quomodocunq; iurauerant, a iuramento huiusmodi ac omni prorsus fidelitatis & obsequij debito absolutos.* Quanta sit in Iuramentis religio, cum Deum testem adhibeamus, si Christiani non essemus, vel ab ipsis ethnicis possemus ediscere, qui illius veneratione ducti, vincula, morte, cruciatus, potiùs sunt perpessi, quàm illud quoquo modo violarent. In sacris etiam Bibliis frequenter legimus, Iuramenta etiam illa quæ contra naturæ ius erant religiosè obseruata esse. Concedamus tamen iusiurandum, cum impium, cum contra bonos mores, aut vtilitatem publicã fuerit,

rescindi

rescindi posse: est ne propterea credibile Papam Iuramentum principi præstitum, quo nihil est sanctius aut naturalius, posse remittere? Et cum vnusquisq; regi fidem sine iuramento debeat, si eadem tanta religione confirmata sit, vt deus testis adhibeatur, Papa ne poterit contra Dei testimonium excipere, & reum suo iudicio absoluere? Si ista authoritate Papa sit, aut tu ea eloquentia & doctrina, vt id mihi persuadere possis, ego equidem ampliùs non in Deum, sed in Papam credā: & quoties alii cuipiam q̃ illius numini iuratus fuerim, illud semper animo excipiam, si Papæ placuerit, sin verò displiceat, lingua iuraui, mentem iniuratam gero. Tu interim si capitalis Romanæ sedis inimicus esses, quod tam infandum scelus illi posses affingere, quàm ista duo a te modò ex ipsius ore commemorata, illius enim licentia & cum principibus bellum gerere, & fidem Regi datam, Iuramento confirmatam violare licet. Ista si Turcæ & Mahumetani audirent, riderent (credo) Christianorum barbariem, & crassissimam mentis stupiditatem, qui reges non modò suos

ſacerdoti neſcio cui obnoxios facerent,ſed æquam etiam illi cum deo poteſtatem tribuerent. Sed non libet in iſtas ineptias & deliria,ſeu potiùs ſummam impietatem inuehi, veniam ad ea quæ ſequuntur in oratione tua, quorum ſenſum ſtrictiſſimè colligam, ne ſuperuacanea recitando longior fortaſſe videar. *Hanc* (inquis) *ſententiam cum Pius quintus Romæ typis mandari iuſsiſſet, ita diuinitùs comparatum eſt,vt exemplum quoddam in Angliam ad Johannem Feltonum deferretur, quod ille foribus ſummi templi affixit, cumq; admonitus eſſet,vt fuga ſibi conſuleret, ille id recuſauit, ſe conteſtatus in omnem euentum paratum eſſe.* Quid tibi venit in mentem Sandere, vt ea ſemper diuinitùs facta dicas, in quibus nihil diuinum poteſt eſſe aut admirandum, immo in quibus non modò humanum conſilium ſed diabolicum etiam primâs tenet? Tune ſolus ignoras, qua ratione, quibus internuntiis, quo impulſore, horribilis iſta & ſtigia ſententia in Angliam delata eſt,poſtquàm eadẽ a Pio, ceu potius Impio quinto Romæ typis mandata eſt? Hæc ſi tu conſultò ignorare velis, quid ego tibi rem

omnem

omnem vt gesta est commemorem, cum etiam hodie aures obturatas habiturus es, qui in his, quæ plus millies audisti, soles obsurdescere? Sed quoniam tibi tantopere vox illa *diuinitùs* placet, vt eandem iniquissimis Satanæ inuentis attribuas, dicam certè tibi quomodo id diuinitùs factum est, vt ad Feltoni manus istæ literæ peruenirent. Cum nemo omnium per totos vndecim annos in nostra Repub. seditiosus ciuis fuerit, qui non omnia rationis suæ concilia cum Feltono communicaret, cum apud exteras nationes nemo patriæ nostræ hostis esset, quin illius ope, tanquam organo apprimè necessario vteretur, cum semper in insidiis, in speculis, in coniurationibus esset, cum bonis infestus esset, malis verò, rumoribus, literis, nuntiis, animos adderet, cum principem clementissimam summo odio insectaretur, cum Papæ tyrannidem & imperium seruile vehementer desiderarit: id diuino iudicio factum est, vt Papæ fulmen ita Feltono in gremium incideret, vt id illi mortem inferret, quod ille sine sensu, sine ratione tantopere suspiciebat. Quod verò fuga sibi

non confuluerit cum eſſet admonitus, vide etiam in illo iuſtum Dei iudicium, cum Satan (qui cor eius iam antea poſſederat) etiam in reliquis membris ita regnaret, vt eadem a iuſtiſſimo ſupplicio refugere non poſſent. Hoccine nouum eſt homines conſceleratos iis conſcientiæ terriculamentis agitari, vt ſe proripere non poſſint, etiamſi maximè velint? Quid quod Deus eorum flagitiis ſæpenumerò irritatus, ne velle quidem illis permittit, conſtantiores vt videantur in re mala cum inſenſati ſint, quàm Chriſti Martyres in cauſa pientiſſima cum ſatis conſiderati ſunt? Hîc ego tibi infinita ſceleſtiſſimorum hominum exempla recenſere poſſem, qui ſcelere perpetrato vel prorſus aufugere non poterant, vel ſi forte aufugerunt, eiſdem veſtigiis mirabiliter ſunt reuerſi quibus diſceſſerant. Sed in re minimè dubia teſtibus non vtar minùs neceſſariis. Satis certa concluſio eſt, in re tam mala, & cauſa tam horrenda, Papæ ſententiam illi diuinitùs incidiſſe, non vt eam ad patriæ peſtem denuntiaret, ſed vt illi perniciem atque mortem afferret, qui cum Papa contra patriam ſenſiſſet.

ſet.

ſet. Et vt vno verbo dicam quicquid tu de illius mortis conſtantia affirmas, ego id deplorandum potius quàm laudandum exiſtimo; quòd homo omni flagitiorum genere contaminatus, patriæ hoſtis, principi rebellis, Reipublicæ proditor, nulla pœnitentia ductus, tam miſerè & deſperatò e vita exceſſerit. Idem de Iohannis Storęi martyrio dici poteſt.

Huius ita longa hiſtoria a te narratur vt quoniam omnium cum faſtidio & indignitate legitur, ego illam quoq; indignam putem quæ a me verbatim refutetur. Quod ſi ea fuerat qua dicis arte & ingenio, id vnum dolendum eſt, tot vitia, & præſertim proditionis crimen in tam excellens ingenium incidiſſe. Fuit certè homo prompta & præcipiti indole, lingua volubili, natura truci, iuuentute intemperata, ſenectute auariſſima. Fluxæ ſemper illi cogitationes & inconſtantes erant, id quod illius affectiones a te deſcriptæ declarant. Nunc enim illi (vti ego ex te colligo) vita ſpiritualis, nunc ſæcularis propoſita erat: hodie ſe martyrem eſſe volebat, cras Cartuſianum, triduo delator aut

vt tu dicis explorator factus est, in regno alieno. Oratio illi ad voluntatem fluebat, sed tanta dicacitate & tam scurrili sermone omnia permista erant, vt eadem sæpenumerò ad suum ipsius periculum intemperanter abuteretur. Quid enim inconsultiùs, aut crassiùs dici potuit, regnante fœlicis memoriæ Edwardo sexto, q̃ id illius dictũ quod a te recitatur, *Væ illi Regno cuius Rex puer est*. Quod si iam interregnum aliquod fuisset, & inter confirmatæ ætatis virum & puerum aliquem electio stetisset, oratoriè certè & prudenter egisset, si illis verbis de puero reiiciendo vsus esset: iam verò cum Regni leges capiti puerili diadema regium imposuissent, cum res integra non esset, cum regni vulnus aliquod ea oratione curare non posset, sed plura potiùs vulnera infligere, cum suis etiam ceruicibus discrimen ex ea oratione magnum impendêre videret, ego illum non eloquentem & disertum, sed loquacem & præcipitem putabo qui id dixerit. Deinde cum serenissima princeps Elizabetha rerum in Anglia potiretur, & ille largitionis, crudelitatis, superstitionis

reus

reus factus esset, respondebat, (vt tute fateris) nunquam se peccasse nisi quod omissa radice ramusculos præcidisset, quasi valde sibi doleret plebeios se potiùs q̃ ipsam Reginam morte confecisse. Si istuc senserat, quid potuit hac oratione truculentius aut monstrosius esse, quæ principi mortem minitaretur? Si non sensit, quid potuit esse stultius quàm sic loqui, vt vnumquodq; illius verbum (nisi princeps in summa misericordia suauissima esset) quasi telo aliquo illum iure optimo confodisset. Sed laudes illum quantum voles (nihil enim & a te de malis hominibus nisi benè, nihil de bonis nisi malè scribitur) ingenium illi, sapientiam, literas, virtutes, quoad voles attribuas, videbimus tamen ex tua ipsius oratione, vel quàm falsa est historia tua, vel q̃ nihili sit iudicium tuum. *Erigebatur* (inquis) *eo tempore apud Belgas nouus magistratus, qui videret ne quid mercatores exportarent in Angliam. Hic cum Parkero cuidam deferretur, is Iohannem Storeum virum Iurisconsultissimum rogauit, vt sibi adesset, consilioq; suo & auxilio iuuaret. Admonebant Storeum amici, ne quid hu-*

iusmodi tentaret, esse enim rem odiosam, & sua persona indignam, vt mercium nescio quarum explorator haberetur. Is etsi nonnullis responderet se ab illo munere alienum fore, tamen lucri spe illectus, temperare sibi non potuit. Quòd si in Storęum inuectiuã aliquam scripsisses, aut illius vitia poeta aliquis descripsisset, non poterant credo illius crimina clariora fieri. Ambitiosum in eo ostendis, quòd noui magistratus consiliarius reclamantibus amicis esse vellet: patriæ hostem, quòd impediret ne merces in Angliam exportarentur: dissimulatorem, quòd amicis responderet se ab illo munere immunẽ esse: auarum, quòd illa præda tanquam esca caperetur: intemperantem, quòd admonitus cupidini suæ temperare non potuit: stultum denique fuisse & delirum ex eo patet, quod postea a te commemoratur, cum ad supplicii locum adductus esset. Fatebatur enim (vti dicis) se non semel fuisse admonitum, quantum ipsi periculum immineret, nunquam tamen illud prospicere potuisse. Istis in illum verborum aculeis non vsus essem cum mortuus sit, nisi id tua oratione factum esset, facilius vt illius

illius vitia q̃ virtutes percipiantur. Ille ſi rurſum viuere poſſet, magis credo tibi tam ſtultè illũ laudanti ſuccenſeret, quàm mihi, qui illum nunquam vituperaſſem, niſi tanta in tuis laudibus, quanta in illius moribus vitia extitiſſent. Sed poſteaq̃ in Angliam adductus & morti adiudicatus erat, *Iniectus eſt crati* (inquis) *Martyr Dei, & ad ſupplicij locum adducitur*. Quid? An ille quoq; Martyr Dei eſt, qui auaritia & ſcelerata habendi cupiditate occœcatus, ad ſupplicium inuitè propter læſæ maieſtatis crimen rapiebatur? Quis vnq̃ Martyrum delatorio aut exploratorio crimine Martyrii palmam eſt adeptus? Quis illorũ tam naturæ hoſtis fuit, vt aperto iudicio atque foro, patriæ & principi renuntiaret? Quis tandem ſummo mærore confectus eſt, quòd papauerũ capita non decuſſiſſet? Sit igitur ſi voles Papæ confeſſor, Chriſti Martyr, niſi iſtam illius hiſtoriolam reſcribas (ſi me conſulis) nnnq̃ erit. Id tamen quod Chriſtianę charitatis eſt valde opto, ſcilicet illũ in extremo ſpiritu ea fuiſſe modeſtia atque pietate, qua tu illũ eſſe voluiſti, ſaltem vt Dei ſeruus emori potuiſſet, qui in tota vita pa-

triæ hoſtis erat. Nam quod Bedfordiæ Comiti,(vt tu dicis)reſponderit, ſe nõ eſſe Reginæ ſubditũ, quod Baroni Hunſdeno, ſe eſſe natura Anglũ vix conceſſerit, id illum ea mente occidiſſe demonſtrat, qua bonis omnibus exoſus vixerat. Atque hîc tu valdè quidẽ contendis, vt dum grauiſſimos illius cruciatus deſcripſeris, faciliorem Martyrii opinionẽ omnibus afferas, cum re ipſa nihil aliud perpeſſus fuerit, q̃ id quod omnes apud nos patriæ proditores perpetiuntur. Suſpenduntur enim ad breue tempus, viui in terram demittũtur, præciduntur genitalia, aperitur venter,viſcera eruuntur,caput amputatur,membra diſſecantur,vt tam exquiſito ſupplicio iſta hominum portenta ad reliquorum terrorem e medio tollantur. *Iſta dũ Storeus pateretur aderat* (inquis) *ſpectator Cæcilius,qui Elizabethæ a Secretis eſt, & præterea Comites duo,ac vnus Baro. Iſtis ergo cum talis mors parum acerba viſa eſt, ſtatim duos libellos ediderunt, in quibus venerãdi ſenis ac ſancti martyris reliquias infamiæ notis aſpergere conati ſunt.* Quid eſt obſecro Sandere, quod hîc Cæciliũ nominaueris, cũ duos Comites & Baronem taceas? Nam quiſquis tibi explorator

vnius nomen detulerit,credibile eſt reliquos etiam cognouiſſe. Quid eſt quod illi nominatim potius q̃ reliquis omnibus iſtã mortem parũ acerbã viſam eſſe dixeris? Deniq; quid eſt quod illum infames libellos de tuo martyre ſcripſiſſe diuinaueris? Non certè quod id tibi perſuaſum eſt, tale aliquid ab eo factũ, ſed vt tu virus aliquod in illũ euomas. Num illi,qui indies in maximis Reipub. negotiis verſatur, tantum otii putas eſſe,vt in Storęo depingẽdo(cuius ſatis iampridem mores Anglis omnibus erant cogniti) operam & oleum perderet? Hîc tú(vt ſoles)animi tui morbũ oſtendis, & illum (qui ſolis Storęi criminibus ſuccenſuit, quiq; illius ſupplicio interfuit vt illũ pœnitentem, confitentẽ ſcelera, hoſtes Reipub. explorantem, cum omniũ charitate ex hac vita migrantem audiret) fingis nec illius ſupplicio contentũ eſſe, & illius manes libellis violaſſe. Sed minimè mehercule miror ſi illius nomen & tibi, & tui ſimilibus inuiſum & exoſum ſit, cum nemo vnq̃ veſtrũ nefarium aliquid in patriã moliri potuerit, quod ille vel prudentia non anteuertit,vel virtute animi non ſuperauit. Quod ſi ille lupos veſtros

in ouile noſtrum intromitteret, ſi conatibus iniquiſſimis nō reſiſteret, ſi Reginæ noſtræ in ſūma ſapientia Conſiliarius fideliſſimus non eſſet, vos illum tanquā diuinitùs e cœlo lapſum ſuſpiceretis: nunc verò, cum inſidiis veſtris occurrat, cum Catelinas veſtros peſtem patriæ nefariè molientes reprimat, cum Reipub. noſtrę natus videatur, cū bonorum omnium patronus exiſtat: nihil vobis eſt illo odioſius, nihil illius nomine iniucundius. Cum iſtis hominibus quoniam tu librū ſeptimum terminandum duxiſti, ego huic quoq; libello finem imponendum ſentio: quem nunq̄ ſanè in te conſcripſiſſem, niſi tu in iſto ſeptimo libro intolerabili ſcribendi licentia vſus eſſes. Reliquis libri tui partibus (niſi fortè aliqua minus neceſſaria videbuntur) breui reſpondebitur. Deus interim optimus maximus, sereniſſimæ noſtrę Reginę, & vniuerſæ Reipub. contra omnes inimicorum impetus (vt hactenus ſemper) ita in æternum gratiæ ſuæ & miſericordiæ propugnacula concedat. Amen.